



DE
ABORTU ET EMBRYOTOMIA

SEU

COMMENTARIUM

IN CAPUT II. SECT. III. CONST. *APOSTOLICAE SEDIS*


PROCURANTES ABORTUM EFFECTU SEQUUTO



PER

IOSEPHUM PENNACCHI

IN SEMINARIO ROMANO, ET IN COLLEGIO DE PROP. FIDE
HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSOREM.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXIV.

Unum tantummodo petimus, ut mentem scilicet, animumque Sanctae Sedis iudicio accommodemus, si circa embryotomiam sit probatura sententiam.

Cum huius quaestionis studium praestantibus viris commissum fuerit, Deus omnipotens illos illuminare dignetur, ne quid falsum, ne quid iniustum, ne quid incongruum aut pronuntient aut sequantur.

S. Poenitentiaria de re interrogata die 2 Septembris 1869 prudentissime postulanti respondit: *Consulat probatos auctores*. Quo profecto significabat, liberum esse cuilibet eam amplecti et sequi sententiam quae ex probatorum auctorum lectione vera deprehenderetur.

Attamen auctores dimicant; hi embryotomiae liceitatem; illi illiceitatem et propemodum iniquitatem propugnantes.

Utriusque sententiae propugnatores legimus; atque dum ante lectionem embryotomiae liceitati quodammodo adversaremur, post lectionem et examen argumentorum, illi favere iniquum non putavimus.

Erravimus, aut veritatem assecuti sumus? Lectores iudicent. At sive erravimus, sive verum diximus, iudicio S. Romanae Ecclesiae humiliter nos et sententiam nostram submittimus.



ARTICULUS PRIMUS



CAPUT I.

De Abortu, poenisque latis in eum procurantes.

Eiusmodi crimen Pius Papa IX coercere conatus est, dum sancivit excommunicatione episcopis reservata mulctandos esse *Procurantes abortum effectu sequuto.* (1)

Non tamen primus; etenim detestabile facinus gravissimis verbis poenisque cohibere conatus etiam fuerat Xistus Papa V in Constitutione *Effraenatam* lata die 29 Octobris 1588, in qua homicidii reos qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes immaniter necant, proclamavit. Pulcherrima est eiusmodi Constitutio, et digna quae referatur, ut etiam differentiam inter vetus et novum ius lectores agnoscant, deprehendantque quanta diligentia et rigore nefarium crimen Romani Pontifices refraenare studuerint.

« Effraenatam, inquit Xistus, perditissimorum hominum contra » divinae legis praeceptum de non » occidendo peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus variisque constitutionibus saepius repressam animdvertentes; » cogimur nos quoque, in supremae iustitiae throno a Domino » constituti, iustissima ratione suadente, vetera iura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam immanitatem, pari » poena proposita, coercere, qui » immaturos foetus intra materna » viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis » enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum » corporum, sed quoad gravius » est, etiam animarum certa iactura » sequitur? Quis non gravissimis » suppliciis damnet illius impietatem qui animam Dei imagine » insignitam, pro qua redimenda » Christus Dominus Noster pretiosum sanguinem fudit, aeternae » capacem beatitudinis, et ad consortium Angelorum destinatam, » a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium, » quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit? Qui liberos prius » vita privavit, quam illi a natura » propriam lucem accipere, aut se » materni custodia corporis ab efferata saevitia tegere potuerint? » Quis non abhorreat libidinosam » impiorum hominum crudelitatem » vel crudelem libidinem, quae » eo usque processit ut etiam venena procuret ad conceptos » foetus intra viscera extinguendos » et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, » aut si iam vivebat, occidi ante-

(1) Const. *Apostolicae Sedis moderationi* Sect. III. Cap. II.

» quam nasci nefario scelere mo-
» liendo? Quis denique non damnet
» gravissimis suppliciis illorum sce-
» lera, qui venenis, potionibus, ac
» maleficiis mulieribus sterilitatem
» inducunt, aut ne concipiant nec pa-
» riant maleficis medicamentis impe-
» diunt? *Maleficos,* inquit Dominus
» ad Moysen, *non patieris vivere.* Ni-
» mis enim impudenter contra Dei
» voluntatem se opponunt, qui, ut
» s. Hieronymus ait, dum natura re-
» cipit semen, receptum confovet,
» confotum corporatum in membra
» distinguit, dum inter ventris an-
» gustias Dei manus semper ope-
» ratur, idemque corporis creator
» et animae est, impie despicit bo-
» nitatem figuli, id est, Dei, qui
» hominem plasmavit, fecit ut
» voluit; siquidem ut sanctus te-
» statur Ambrosius, non mediocre
» munus est Dei dare liberos pro-
» pagatores generis. Divinum do-
» num est foecunditas parientis, eo-
» demque tempore diro hoc flagi-
» tio privantur liberis parentes qui
» generaverant, vita filii qui ge-
» nerati sunt, matres coniugii prae-
» miis, terra quae ab his cole-
» retur, mundus qui ab eisdem
» cognosceretur, Ecclesia quae de-
» votae numero plebis aucta gau-
» deret. Unde non immerito sexta
» Synodo Constantinopolitana (an-
» no 680-681) sancitum est, ut
» personae quae dant abortionem
» cientia medicamenta, et quae
» foetus necantia venena accipiunt,
» homicidae poenis subiiciantur
» sed et veteri Concilio Ilerdensi
» (anno 524) cautum est, ut qui
» conceptos ex adulterio foetus ne-
» care studuerint, vel in ventribus
» matrum potionibus aliquibus colli-
» serint, si postea poenitentes ad
» Ecclesiae mansuetudinem recur-
» rant, omni tempore vitae suae
» fletibus et humilitati insistant; si
» vero clerici fuerint, officium mi-
» nistrandi eis recuperare non li-
» ceat, (1) omnesque tam ecclesia-
» sticae quam profanae leges gra-
» vibus poenis afficiunt eos qui in
« utero matris puerperium interi-
» mi, aut ne mulieres concipiant,
» sive ut conceptos foetus eiiciant,
» nefarie machinantur.

« §. Nos igitur, post repressam
» eorum temeritatem, qui matri-
» monii iura violare, et quantum
» in ipsis est vinculum indissolu-
» bile dissolvere praesumunt, quive
» turpioribus quibusdam incestis se
» inquinare non erubescunt, hoc
» quoque malum, quantum viribus
» nobis a Domino traditis conten-
» dere possumus, nostris potissi-
» mum temporibus exterminare vo-
» lentes: omnes et quoscumque,
» tam viros quam mulieres, cuius-
» cumque status, gradus, ordinis
» ac conditionis, etiam clericos sae-
» culares, vel cuiusvis Ordinis re-
» gulares, quavis dignitate et prae-
» eminentia ecclesiastica vel munda-

(1) Sunt verba ipsius Canonis quamvis integre non relati.

» na fulgentes, qui de cetero per se, » aut interpositas personas abortus » seu foetus immaturi, tam ani- » mati, quam etiam inanimati, for- » mati vel informis eiectionem pro- » curaverint percussionibus, vene- » nis, medicamentis, potionibus, » oneribus, laboribusque mulieri » praegnanti impositis, ac aliis etiam » incognitis vel maxime exquisitis » rationibus, ita ut reipsa abortus » inde secutus fuerit, ac etiam prae- » gnantes ipsas mulieres, quae scien- » ter praemissa fecerint, poenas, » tam divino, quam humano iure, » tum per canonicas sanctiones et » apostolicas constitutiones quam » civilia iura adversus veros ho- » micidas, qui homicidium volun- » tarium actu et reipsa patraverint, » propositas et inflictas (quorum » omnium tenores his nostris lit- » teris pro expressis et ad verbum » insertis habemus) eo ipso incur- » rere, hac nostra perpetuo valitura » constitutione statuimus et ordi- » namus, ipsasque poenas, leges » et constitutiones ad casus prae- » fatos extendimus. (1).

» § 2. Eos vero qui clerici » fuerint, omni privilegio clericali, » officiis, dignitatibus et beneficiis » ecclesiasticis, quae sic vacatura » nostrae et Sedis Apostolicae dis- » positioni perpetuo reservamus, » ipso facto privamus, et in futu- » rum inhabiles ad ea suscipienda » decernimus, adeo ut illi qui hoc » delictum commiserint, non secus » atque ii qui sua voluntate homici- » dium perpetraverint, iuxta Con- » cilii Tridentini decreta (2) etiamsi » crimen id nec ordine iudicia- » rio probatum, nec alia ratione » publicum, sed occultum, fuerit, » ad sacros ordines promoveri, aut » in susceptis ordinibus ministrare » nullo modo possint, nec illis ali- » qua ecclesiastica beneficia, etiamsi » curam non habeant animarum, » conferri liceat, sed omni ordine » ac beneficio et officio perpetuo » careant.

» § 3. Nec non et illos qui cle- » rici non fuerint et talia perpe- » traverint, non solum poenas in- » currere supra narratas, sed etiam » inhabiles ad ordines et alia prae- » dicta decernimus et declaramus.

» § 4. Volentes quod hi qui foro » ecclesiastico subiecti, ut praefer- » tur, deliquisse comperti fuerint, » per iudicem ecclesiasticum de- » positi et degradati, curiae et po-

(1) In eiusmodi lege ferenda primus non fuit Xistus V. Etenim in Concilio Wormatiensi sub Hadriano II, an. 868, cap. 35 sancitum fuit: Mulieres quae ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes voluntate excutiunt, ut homicidae procul dubio iudicandae sunt.

(2) Sess. XIV de Reform. cap. 7. « Qui sua voluntate homicidium perpetra- » verit, etiamsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri » possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant ani- » marum, conferre liceat, sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico per- » petuo careat. »

» testati saeculari tradantur, quae » de eis illud capiat supplicium, » quod contra laicos vere homici- » das per divinas leges ac civilia » iura est dispositum.

» §. 5. Praeterea eisdem poenis » teneri omnino statuimus eos qui » sterilitatis potiones ac venena » mulieribus propinaverint, et quo- » minus foetum concipiant impe- » dimentum praestiterint, ac ea » facienda et exequenda curave- » rint, sive quocumque modo in » his consuluerint, ac mulieres » ipsas quae eadem pocula sponte » ac scientes sumpserint.

» § 6. Quocirca mandamus uni- » versis et singulis iudicibus ordi- » nariis et delegatis tam ecclesia- » sticis quam saecularibus, quibus » contra criminum reos, etiam quoad » causas huiusmodi, de iure vel » ratione delicti aut personarum, » legitime competet iurisdictio, » ita tamen ut praeventioni locus » est, ut in his delictis, quae ut » plurimum in occulto perpetran- » tur, contra quoscumque, non so- » lum per accusationem et decla- » rationem, verum etiam per in- » quisitionem ac simplicem denun- » ciationem procedant, ac ad illa pro- » banda testes alias de iure inhabiles » eorumdem tamen iudicum arbi- » trio, habita ratione personarum, » causarum et qualitatum illarum » ac circumstantiarum quarumcum- » que, admittant, ac in eos qui cul- » pabiles fuerint, prout per nos san- » citum est, demum animadvertant.

» § 7. Insuper, ut immanissimi » huius delicti gravitati, non solum » temporalibus, verum etiam spi- » ritualibus poenis prospiciamus » ac provideamus, omnes et singu- » los cuiuscumque status, gradus, » Ordinis vel conditionis existentes, » tam laicos quam clericos, saecu- » lares, et cuiuscumque Ordinis » Regulares, nec non mulieres sae- » culares vel quemcumque Ordi- » nem professos, qui vel quae, vel » uti principales vel ut sociae con- » sciaeve ad tale facinus commit- » tendum opem, consilium, favo- » rem, potionem, vel alia cuius- » cumque generis medicamenta » scienter dederint, ac etiam scri- » bendo literas privatas vel apo- » chas, vel alias verbis aut signis » iuverint aut consuluerint, ultra » supradictas poenas, ipso facto ex » nunc prout ex tunc excommuni- » catos declaramus.

» § 3. Decernentes ac decla- » rantes quod per quaecumque iu- » bilaea et indulgentias per nos et » successores nostros, etiam anno » iubilaei aut alio quovis tempore, » etiam cruciatae sanctae, iubilaei » vel quovis alio titulo concessas » et concedendas, nec non per » quascumque literas apostolicas » quibusvis principibus, seu ad eo- » rum instantiam per nos et suc- » cessores nostros pariter concessas » et concedendas, ac etiam vigore » privilegiorum, Mare magnum, vel » alias quomodolibet nuncupatorum » quibusvis Congregationibus regu-

» larium aut Episcopis vigore Con-
» cilii Tridentini, vel alias per nos
» et praedecessores nostros quo-
» modocumque concessorum vel in
» in futurum concedendorum, nec
» personae sic, ut praefertur,
» delinquentes excommunicatae,
» praeterquam in mortis articulo
» absolvi valeant; nec cum iis cle-
» ricis, qui huiusmodi delicta per-
» petraverint, etiamsi eorum crimen
» occultum fuerit, super irregula-
» ritate praemissorum occasione
» contracta, nec per locorum Or-
» dinarios nec per alios quavis
» auctoritate fungentes, quam per
» nos et Romanos Pontifices nos-
» tros successores, et tunc nonnisi
» urgentissimis de causis dispensari
» possit. Ac tam absolvendi quam
» dispensandi facultatem huiusmodi
» etiam quoad forum conscientiae
» in casibus superius expressis, no-
» bis et successoribus nostris dum-
» taxat reservamus, etc. »

Datum die 29 Octobris 1588.

Relatam Constitutionem quae Xisti V indolem ingeniumque demonstrat brevi oratione contrahentes, reperiemus.

1. Xistum Papam abórti reos uti veros homicidas judicasse, eisque applicasse poenas contra homicidas voluntarios statutas.

2. Inter foetum animatum vel inanimatum relate ad poenas incurrendas nihil distinxisse.

3. Laicos spe privasse ad clericales ordines ascensus.

4. Clericus vero tum quibuslibet beneficiis, Officiis atque privilegiis privasse; tum illos inhabiles ad illa obtinenda decrevisse, demum brachio saeculari tradidisse ut poenas contra homicidas voluntarios latas subirent.

5. Iisdem poenis teneri utriusque sexus complices quoslibet, etiam illos qui ad sterilitatem inducendam potiones et medicamenta mulieribus praebuerint; ac ipsas mulieres illa *sponte ac scienter* sumentes.

6. Omnes sive principales sive complices cuiusvis ordinis aut dignitatis excommunicatione mulctari Romano Pontifici specialiter reservata, a qua nemo absolvere proinde posset nisi in mortis articulo, non autem occasione sive Iubilaei, sive Indulgentiarum quamrumlibet concessione.

7. Ecclesiasticos autem praeter excommunicationem etiam irregularitatem incurrere, a qua unus Romanus Pontifex dispensare posset.

Eiusmodi Canonum rigore putavit Xistus V se refraenare posse immaturorum foetuum abiectiones, quae quo frequentior impudicitia est, eo frequentius contingunt. Verum eum fefellit opinio. Cum enim saeculo XVI luxuria quodammodo grassaretur, atque admodum corrupti hominum mores essent, furtivae conceptiones multiplicabantur, et cum dedecore mulieres affici nollent, quod semper abortis causam dedit, fiebat ut conceptos foetus deiicerent, poenas latas secreto adhibito se evadere posse spe-

rantes, atque de cetero in peccatis sordescebant, cum et absolutio criminis difficilior esset, atque timore ne detegerentur absolutionem neque fortasse peterent; Ecclesiastici vero qui tanto crimine sese foedaverant, ne officia et beneficia deserere cogerentur, ut alios timores praetermittamus, sacrilegia multiplicarent. Id cum ad aures Gregorii XIV perlatum fuisset, Constitutionem Xisti X temperandam esse statuit, lata lege, quae incipit *Sedes Apostolica,* sub die 31 Maii 1591. In ea porro manifeste affirmat, ex rigido remedio praedecessoris sui eam animabus utilitatem non derivasse, quae sperabatur, aucta immo crimina et perditionem « §. 2. Cum » igitur postmodum experientia do- » cuerit, ex remedio huiusmodi, » non eam quae sperabatur utili- » tatem et fructum provenisse, ve- » rum potius multis Satanae mali- » tia ad peccandum inductis, diffi- » ciliori, ob soli Sedi Apostolicae » reservatam absolvendi facultatem, » reddito ad poenitentiam aditu, » eos a nefariis huiusmodi flagitiis » perpetrandis non solum non re- » traxisse, sed etiam plurimorum » sacrilegiorum gravissimorumque » peccatorum occasionem dedisse; » nos propterea utilius censentes, » ubi nec de homicidio, nec de » animato foetu agitur, poenas non » imponere duriores iis, quae per » sacros canones, et leges propha- » nas sunt inflictae et... animadver- » tentes, gladium ecclesiasticae di- » sciplinae, praesertim quoad cen- » suras et poenas spirituales, ita » exercendum esse ut ad medici- » nam tendat, non ad perniciem ani- » marum » hinc statuit, ut peccatum et excommunicatio de cetero non esset Romano Pontifici reservata, sed a quolibet Sacerdote saeculari vel regulari ad Christifidelium confessiones audiendas adprobato, et ad casus hos specialiter absolvendos ab Episcopi deputato posset absolvi. « Constitutionem praedi- » ctam sic duximus moderandam, » ut a peccato et excommunicatione » contra personas ibi expressas lata, » tam quoad eos qui hactenus de- » liquerunt, quam quoad illos qui » post nostram constitutionem in » eisdem casibus deliquerint, qui- » libet Presbyter, tam saecularis, » quam cuiusvis Ordinis regularis, » ad Christifidelium confessiones » audiendas, et ad hos casus spe- » cialiter per loci Ordinarium de- » putatus, plenam et liberam in » foro conscientiae tantum absol- » vendi habeat facultatem, eam- » dem prorsus quam idem Xistus » praedecessor sibi ac suis succes- » soribus reservavit. »

Poenas vero indictas a Xisto in procurantes abortum foetus inanimati, aut in exhibentes mulieribus, aut sumentes venena sterilitatis, reduxit Gregorius XIV ad tramites iuris communis, et Tridentini Concilii dispositionem, quin de cetero haberentur aut excommunicati, aut veri nominis homicidae. « Quo vero

» ad poenas procurantium abortum » foetus inanimis (1), aut exhiben- » tium mulieribus, vel sumentium » venena sterilitatis, aut quocum- » que modo auxilium vel consilium » eis dantium, in praedicta consti- » tutione contentas, constitutionem » praefatam, in ea parte ubi de his » agit, ad terminos iuris commu- » nis ac sacrorum Canonum et Con- » cilii Tridentini dispositionem, » auctoritate apostolica, tenore prae- » sentium, tam quoad praeterita » quam quoad futura, perpetuo re- » ducimus, perinde ac si eadem » constitutio in huiusmodi parte » numquam emanasset. »

Ne vero lata a Xisto V Constitutio dubium aliquod inferret, pronunciat, eam quidem in suo robore permanere quoad reliqua omnia, non autem quoad ea quibus per Constitutionem a se latam ipse derogaverat. « Non obstantibus eadem » praedecessoris nostri constitutio- » ne, quam quoad reliqua omnia, » praeter contenta in hac nostra » Constitutione, in suo robore om- » nino permanere volumus, ce- » terisque contrariis quibuscum- » que.»

Ex iis apparet, Gregorium XIV in plurimis Xisti sanctionem temperasse, atque praesertim in eo quod statuerit excommunicationem reservatam esse episcopis debere, cum ab iis tantummodo Confessariis absolvi posset qui *ad hos casus specialiter ab Episcopis essent deputati;* tum in eo quod excommunicationem, irregularitatem aliasque poenas a Xisto indictas in procurantes abortum foetus sive animati sive inanimis, ad foetus tantum animatos limitarit; poenas demum speciales indictas a Xisto in procurantes abortum foetus inanimis ad ius commune reduxerit.

Pianum Caput cum Xisti V et Gregorii XIV Constitutionibus conferenti illico apparebit, in nonnullis cum utriusque convenire, in aliis vero discrepare.

Et 1. cum Pius Papa IX simpliciter edixerit *procurantes abortum* distinctionem eliminavit foetum animatum inter et inanimem, ita ut nunc statuta poena pro abortu quolibet incurratur. Qua in re quamvis Pius IX ad Constitutionem Sixtinam accedat, non tamen ea ratione quod distinctionem inter foetum animatum et inanimem admittat, sed eo quod crimen utcumque punire intendat.

2. Piana Constitutio cum Gregoriana Constitutione in eo concordat quod excommunicationem unis Episcopis reservat; in hoc autem recedit a Xisti V decreto.

3. Tum Xistus V, tum Gregorius XIV nedum procurantes abortum censura percusserant, sed complices omnes atque cooperatores. At Pius IX unos procurantes excommunicat; in quo mitiorem prae antecessoribus sese exhibuit.

4. An vero minorem sive scien-

(1) Haec iuxta sententiam scholasticorum prolata non sunt nunc attendenda.

tiam, sive coutumaciam requirat, ut putant e commentatoribus nonnulli, suo loco videbimus.

Post haec Pianum Caput expendamus. Ut autem ordine procedamus, inquiremus.

1. Quid veniat nomine abortus?

2. Quinam excommunicatione percellantur?

3. Quaenam ad excommunicationem hanc incurrendam requirantur conditiones?

4. An et quando licitum sit abortum procurare?

5. Quid tandem de difficillima illa quaestione, quae craniotomia vulgo dicitur?

Et quoad primum. Communis abortus definitio ab Theologis acceptata his verbis concludebatur: *Eiectio ex utero foetus immaturi;* vel (quod de cetero in idem recidit): *Praematura eiectio foetus ex utero matris.*

At aliis eiusmodi definitio nimis generalis visa est, quaeque complectatur etiam casus, qui inter abortus recenseri non debeant, casus scilicet, in quibus ad salvandam matris et foetus vitam necessarium sit hunc ex maternis visceribus ante tempus extrahere, in quo nullum certe deprehenditur malum, imo bonum. (1) Peccare hinc eiusmodi definitionem contra regulas ad rite definiendum aliquid constitutas, scilicet *ne definitio sit latior definito,* et ut definitio ita uni conveniat definito, ut converti possit.

Hinc aliquibus magis arridet definitio abortus, quam, alios inter, tradit Ameno *De delictis et poenis, tit. VII,* §. *9, n. 1* scilicet *Dolosa operatio, per quam foetus vel mortuus, vel non vitalis ex utero abiicitur.*

Quid autem si abiiceretur foetus vivus, aut vitalis? Quid si foetus deprehendatur mortuus in utero matris? num ne eiusmodi abiectio dolosa esset?

Abortus enim non tam respicit conditiones foetus eiecti, quam modum quo eiicitur, vel saltem utrumque complectitur.

Ni fallimur, eiusmodi ab Ameno tradita definitio non uni convenit definito; ideoque ad constitutas definitionum rite agendarum regulas neque ipsa exacta videtur.

Ad conciliandas hinc discrepantias quaslibet, abortum rite definiri posse censemus. *Dolosa eiectio foetus ex utero matris.* Illud enim *dolosa* excludit quaslibet alias innocentes eiectiones, et definitionem ad unum abortum proprie dictum coarctat.

II. Excommunicantur autem *procurantes abortum.* Procurare autem est studiose et ex industria aliquid quaerere. Ad agnoscendum igitur quinam lata excommunicatione percellantur, rite determi-

(1) Eiusmodi operatio proprie *eiectio* dici non posset, sed potius *extractio;* atque cum nulla in ea culpa deprehendatur, non videtur sub relata abortus definitione comprehendi.

nandum est qui *procurantium* nomine in Piano Capite veniant. Porro Commentatorum omnium concors sententia est, Pium Papam IX de iis procurantibus sermonem habuisse, quos Sixtus V §. 1 relatae constitutionis veluti homicidas damnat. « Omnes et quoscumque tam » viros quam mulieres . . . qui de » cetero per se, aut interpositas » personas abortus, seu fetus im» maturi, tam animati quam ina» nimati, formati vel informis eie» ctionem procuraverint percussio» nibus, venenis, medicamentis, » potionibus, oneribus, laboribusque » mulieri praegnanti impositis, ac » aliis etiam incognitis, vel maxi» me exquisitis rationibus, ita ut » reipsa abortus inde secutus fuerit.

Nemo autem dubitare potest quin sub praescripto tenore verborum comprehendantur tantummodo *mandantes,* iique omnes *qui physice,* immediate, per se, suoque nomine, quocumque demum modo, procurant abortum. Hinc consulentes et faventes excludendi sunt omnino, cum ii non possint referri inter illos qui *per se, vel interpositas personas* fetus eiectionem procurent; tum qui ira et odio mulierem praegnantem ita percusserint ut haec foetum abiecerit, tum pharmacopolae qui pharmacum simpliciter parent; non enim hi immediatam ponunt actionem ad abortum procurandum, sed talem ex qua alii illum procurant. Certum est autem quod cum censura aliqua fertur in aliquos hoc vel illud facientes, si ad consulentes, adiuvantes disertis verbis non extendatur, hi sub lege comprehendi non intelliguntur, tum ob naturam legis odiosae, tum quia reapse hi non possunt dici id facientes quod lata lex sub censura prohibet. Non nos equidem latet, a plerisque etiam mandantem post Pianam Constitutionem, ab excommunicatione excludi; at profecto sine ulla, ut nobis videtur, veritatis specie. Primo enim Pius Papa IX adhibet idem verbum *procurantes* quod Xistus V in relato superius testimonio adhibuit; at inter procurantes in huius Constitutione absolute recensendos esse mandantes, omnino patet tum ex vi verborum *per se, aut interpositas personas;* tum quia Xistus alios cooperatores Constitutionis decursu diserte expressit; quod postremum Pius Papa IX praetermisit; hic ergo dicendus est instaurasse Xisti legem quoad citatam paragraphum atque verbum *procurantes* adhibuisse eo sensu et extensione qua adhibuerat Xistus. Igitur etiam sub Piana constitutione mandantes excommunicatione percelluntur, cum haec cum veteribus canonibus plene concordare reperiatur, et vitanda sit iurium pugna; insuper negari non possit mandantes inter procurantes abortum vere et proprie recenseri posse et debere, cum ipsi sint causa principalis moralis abortus ipsius, sine quibus abortus secutus non fuisset; nemo demum

umquam affirmaverit, verbum *procurare* innuere actionem physicam tantum; etenim qui per alium facit per seipsum facere videtur, ut alia in re praetermittamus.

De cetero quamvis aliquis e Commentatoribus (1) mandantem excommunicatione eximat, ceteri autem et praestantissimi illum submittunt (2). Consensus autem doctorum, cum praesertim rationibus etiam intrinsecis fulcitur, certitudinem moralem inducit.

Si autem mandantes excommunicationi subduntur, num ne ea eximi poterunt mandati executores?

Clarissimus Commentator Reatinus hos eximere videtur, dum scribit num. 153. « Non item qui » illum (abortum) consulit, vel pro- » curanti opem praestat, ut ecce qui » pharmacum parat; imo nec qui » iussu aut mandato alterius facit, » ut mulier abigat: nam procuran- » tes accipere hoc loco debemus, » ut in veteri iure, non eos qui » pro alio, sed eos qui per se, » sive per alium curant, faciunt, » ut mulier abigat. »

Huic vero sententiae obstant cum Commentator Patavinus, tum clarissimi scriptores de la Nouvelle Revue; ille quidem scribens n. 350. « Reatinus unus arbitratur subia- » cere censurae non eos qui *pro* » *alio*, seu alieno nomine agunt, » sed solum eos qui nomine pro- » prio abortum procurant. Haec » mihi opinio non placet. Manda- » tarius siquidem dum iussa aliena » exequi ac complere parat, nonne » directe et de industria quaerit, » ut foetus extinguatur, atque eii- » ciatur? Nonne in talem finem » apta adhibet media? Ergo vere » et proprie ipse procurat abor- » tum. Illud unicum discrimen in- » terest, quod iubens abortum pro- » curat per alium, et mandatarius » procurat per se, quamvis non

(1) Ex. gr. Daris *Tractus de Censuris n. 241.* quaerit: Quid autem de eis dicendum qui mandaverunt ,..... abortum, sed nullam actionem adhibuerunt, nullum medium subministraverunt? Et respondet: Non videntur numerari inter procurantes abortum, quamvis isti graviter peccent.

(2) Praecipuos nominabimus. Avanzini qui verbo *procurantes* eam concedit extensionem quam habet in Constitutione Xisti V. dicens « Quinam autem sub » nomine *procurantes* abortum veniant, colligi potest ex Constitutione Xisti V. » D'Annibali « Excommunicationem incurrunt, ut antea, et qui iubet et qui mandat abortum fieri » Scriptores Ephemeridis *La nouvelle Revue Théologique* Tom. XI. pag. 324, § 22. « Ce point nous paraît hors de contestation » Commentator Patavinus in hunc locum: « Veri nominis procurator est tum qui agit per se, tum » qui aliorum ministerio utitur; quamobrem qui iubet vel imperat abortum, » nullo titulo excusandus est e censura contrahenda. « De Varceno Theolog. moral. Tom. 2. pag. 494. « Coercetur sub hac excommunicatione.......... sive » operetur per se sive per alium, v. gr. iubendo vel mandando abortum fieri, quia » cum verbum procurantes a Constitutione nostra sit relatum ut est in Constit. » Xisti V debet hic intelligi sicut in illa. »

» pro se. Hoc tamen minime im-» pedit, quominus qui in nomine » alieno agit, inter procurantes » vere ac proprie sit recensen-» dus. »

Alii vero *Tom. XI. pag. 325. n. XXV.* ita contra Reatini Commentatoris sententiam ratiocinantur: « Hi, mandatarii, realiter procu-» rant abortum; ponunt enim actum » abortum producentem. Verba Con-» stitutionis Xisti V simpliciter exi-» gunt ut causetur abortus: *foetus » eiectionem procuraverint.* At hi » qui matri potionem porrigunt » quae foetum interficit, medici » qui eum in utero matris conci-» dunt, ut extrahant, nonne sunt » abortus auctores, nonne illum » procurant stricto sensu, quamvis » de alterius agant mandato? Nulla » igitur adest ratio eos ab excom-» municatione eximendi. »

Rationes igitur, quibus Reatini sententia excluditur ad has reducuntur. 1. quia in veteri iure excommunicatione percellebantur omnes qui essent abortus causa, seu abortum inducerent; 2. quia mandatarii ponunt actionem directam abortus, suntque eius causa.

Expendamus eiusmodi rationes. Et 1. negandum non est, Xistum V eos primum excommunicasse, *qui de cetero per se* aut *interpositas personas abortus, seu foetus immaturi . . . eiectionem procuraverint.* Haec autem verba referenda omnino esse ad immediate agentes, et mandantes negari non potest. Cum autem lex poenalis extendi non possit ad alios casus et personas non expressas, non licet ad mandatarios Xisti verba applicare. 2. Tum Commentator Patavinus num. 338, tum scriptores de la Nouvelle Revue *Tom. XI. pag. 315. n. 10.* affirmant, in Piana Constitutione verba *procurantes abortum* eam extensionem habere, quam habent in §. 1. Xistinae Constitutionis, cuius verba recitant; at eo in loco per *abortum* procurantes indigitari *immediate agentes nomine proprio, vel mandantes*, sensus grammaticalis *evidentissime suadet;* nescimus enim an alias personas possint demonstrare verba *qui per se aut per interpositas personas . . . abortus eiectionem procuraverint.* Hinc sequitur quod cum personae interpositae in §. cit. poenis subactae non fuerint, neque per Pianam constitutionem poenis subigendae erunt. Dicturi ne fortasse erunt, Pianam legem generice loqui, et neminem excipere, consequenter *verba procurantes abortum* ad quaslibet personas extendi debere, quae procurent abortum? At si hoc dicant, falsum erit, citata verba tantos in Piana Constitutione complecti quantos in Xistina, atque in Piana latiorem significationem habere; quod tamen citati scriptores negant. Certum est autem ex grammaticali sensu verba citata ideo generalia esse, et complecti personas quaslibet quia neminem ex iis excipiunt *qui per se*

vel per interpositas personas foetus eiectionem procuraverint.

3. Xisti V verba *foetus eiectionem procuraverint*, non sunt absolute consideranda, sed relative ad antecedentia, scilicet ad eos, ad quos illa Xistus V applicat: at manifestum est illa applicare, et dicere de illis *qui per se aut per interpositas personas . . . abortus eiectionem procuraverint.* Hi autem non sunt mandatarii.

4. Textu allegato Xistus V praeter eos qui per se aut per interpositas personas abortum procurant, homicidii veri damnat mulieres praegnantes, *ac etiam praegnantes ipsas mulieres quae scienter praemissa fuerint,* aliosque omnes praetermittit: cum igitur legislator personarum classem poenis subiiciendam recensuerit, non licet eius verba ad alios extendere, quae sub recensitis classibus non comprehenduntur.

5. Neque quis dicat, postea Xistum V omnes recensere qui quomodocumque ad abortum procurandum concurrerint. Id enim verum esse dicimus, at nullimode Reatini sententiam inde impugnari posse. Etenim §. 5. Xistus veris homicidis accenset etiam eos *qui sterilitatis potiones ac venena mulieribus propinaverint, et quominus foetum concipiant, impedimentum praestiterint.* At hi neque numerari possunt inter procurantes abortum, cum e contra sterilitatem procurent, neque illos inter qui §. 1. recensentur. Qua de causa Pius Papa IX de his loqui non potuit. At §. 7 Xistus excommunicatione *ferit omnes et singulos cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existentes . . . qui vel quae,* vel uti *principales, vel uti sociae consciaeve ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam* etc. Quo loco nedum principales agentes, sed etiam complices et fautores quoslibet Xistus V excommunicationi subdit.

Quid ergo dicemus? Hos ne quoque Pius Papa IX comprehendit verbis *procurantes abortum?* Ergo falsum est quod affirmant contrariae sententiae patroni, fautores scilicet, consulentes etc. excludi ab Piana excommunicatione; sub ea enim nedum complices sed etiam criminis conscii comprehenderentur. Si autem Pius Papa IX hos omnes quos recenset in cit. loc. Xistus, inter procurantes non comprehendit, edicant adversarii Reatinae sententiae quosnam comprehenderit, quosnam excluserit. At ipsi affirmant, Pium IX comprehendisse eos tantum quos Xistus recenset §. 1; illi autem sunt qui per se, sive per interpositas personas abortum procurant, atque ipsae mulieres praegnantes; quo igitur ratiocinio Reatini sententiam evertere possunt? quo iure falsam proclamant? Potius enim illam confirmant.

6. Manifestum est autem ex Con-

stitutione Gregorii XIV nihil contra Reatini sententiam extundi posse, cum poenas tantummodo limitet, nihil autem novi de personis poenis subigendis decernat.

At secundo loco, affirmant adversarii, mandatarios esse *procurantibus abortum* accensendos, ideoque excommunicatos et in Pii IX constitutione habendos, quia ponunt actionem directam abortus, suntque eius causa. Optime. Sed eiusmodi difficultas extra quaestionem vagatur, neque ab adversariis afferri potest aut debet. Quaestio enim in eo versatur; quinam scilicet sint, quos inter procurantes abortum Pius Papa IX concludit. Cum autem ipsi affirment illos esse quos Xistus recenset §. 1 suae constitutionis, ii autem evidentissime sint principales agentes et mandantes, hoc ipso affirment necesse est, vel ad illos tantum Piana verba esse applicanda, consequenter mandatarios excludendos; aut si negaverint, retractent alia oportet quae scripserunt ut complices quosdam abortus ab excommunicatione excludant, extendant scilicet etiam ad hos Pianae Constitutionis verba. Paucis: vel *Procurantes abortum*, de quibus Pius IX, sunt ii tantum, quos Xistus V recenset §. 1. suae Constitutionis, quod de cetero Reatinae sententiae adversarii concedunt; et ad alios Piana verba extendenda non sunt: vel sunt etiam alii; et hoc in casu 1. Pianum Caput relationem non habet ad §. 1 Constitutionis Xistinae tantum. 2. Adversarii retractare ea debent quae de eiusmodi relatione concesserunt. 3. Edicere et evidenti argumento probare quaenam personae sub nomine *procurantes abortum* in Piano Capite comprehendentur. Nisi haec antea perficiant, stabit Reatini Commentatoris sententia.

7. Tandem ex iis quae exposuimus negari non posse arbitramur, Reatini sententiam gravibus niti argumentis, quae veram et proprie dictam probabilitatem constituant, eiusmodi insuper esse naturae ut dubium de legis existentia in re inducant, non esse hinc de excommunicatione damnandos mandatarios saltem usque dum per authenticam declarationem contrarium non constet.

Non minoribus autem difficultatibus implicata illa quaestio reperitur, qua doctores quaerunt: utrum inter procurantes abortum mulier praegnans sit recensenda, ideoque excommunicationi Pianae subiicienda. Atque tum in veteri tum in novo iure Doctores discordias agunt.

In veteri quidem iure Bonacina *De excomm. in part. Quaest. II. Punct. IX n. 13.*, cui et alii subscripserant, affirmabat mulieres praegnantes quae abortum procurassent excommunicationi subiectas fuisse, quia textus loquitur non solum de cooperantibus, verum etiam, de iis quae vel ut principales, vel ut sociae, consciaeve ad tale cri-

men committendum opem, consilium, favorem etc. contulerint; legem autem manifestam esse: *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint.* Non esse autem excipiendum quod in hac §. 1 Xistus abortum procurantibus poenas tantum homicidii imponat, non autem excommunicationem; hanc enim imponit §. 7 qua omnes complectitur *qui vel quae, vel uti principales, vel uti sociae,* abortum procurent.

Addendum, mulieres praegnantes plerumque abortus causam principalem esse, cum si ipsae nollent, ille procurari nullo modo posset, nisi ignorantia supposita. Quo ergo iure ab Xisti excommunicatione eximentur, cum ipse censura principales plectat?

At alii, quos inter Cardinalis de Lugo et S. Alphonsus de Ligorio, allatas rationes posthabentes, praegnantes mulieres ab excommunicatione eximebant; primo quidem quia Xistus V dum §. 1, et 5 de muliere praegnante loquitur, non excommunicationi, sed poenis tantummodo temporalibus eam submittit; dum vero §. 7 procurantes abortum excommunicationi subdit, ita loquitur ut praegnantes mulieres comprehendi non videantur; excommunicat enim omnes, *qui vel quae uti principales vel ut sociae consciaevae ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cuiuscumque generis medicamenta scienter dederint.*

Excommunicantur igitur qui abortui committendo vel ut principales, vel ut cooperatores *dant opem;* atqui hos inter mulier praegnans reponi non potest, cum non sit ipsa quae dat sibi opem, consilium, medicamenta etc. Sed neque inter illas, cum ut ex textu patet. Xistus de tertiis personis loquatur qui in abortus crimine committendo principalem dent operam. §. igitur 7 Xistinae Constitutionis mulieres praegnantes comprehendi sub excommunicatione non videntur. Qua insuper de causa dum §. 1 et 5 Xistus mulieres praegnantes recenset, §. 7, qua eas omnino recensere debuisset, ut certe excommunicatae haberi possent, praetermittit, dum complices ceteros diserte exprimit?

Utique dicturi erunt, Xistum ea in paragrapho vel omnes comprehendisse, quos superius recensuerat, vel matrem inter principales annumerare voluisse: verum praeterquam quod in lege odiosa versemur, in qua solemne est effatum dum de poenis imponendis agitur: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censendus est;* quod primo loco affirmant adversarii probatione indiget; nos e contra non intelligimus qua de causa Xistus superioribus paragraphis mulieres praegnantes expresserit, paragrapho autem 7, nedum eas non expresserit, sed talibus sit usus verbis, quibus illae excludantur; etenim inter cooperantes num-

quam numerari poterunt, cum de his prorsus dicat Legislator *qui vel quae opem, consilium, favorem* etc. scienter dederint; at mulieres praegnantes in casu *opem acciperent, non darent,* medicamenta *sumerent,* non *porrigerent.* Sed neque inter principales, cum hi sint personae a praegnantibus mulieribus diversae ut ex textu patere paulo superius animadvertimus. Caeteris demum praetermissis, non negabunt adversarii dubiam admodum rem esse, an Xistus inter principales mulieres praegnantes recensere voluerit, atque recensuerit; at ex lege dubia neque obligationem oriri neque poenam incurri ipsi optime noverunt.

Exinde vero ruit et alterum argumentum, quo statuebatur mulieres praegnantes uti causas principales abortus esse habendas, ideoque et in veteri iure excommunicationi subigendas; primum enim lex poenalis non potest extendi de casu in casum neque ob identitatem rationis; deinde, non principales quilibet, sed illi prorsus qui uti principales in lege recensentur sunt poenis obnoxii; at potest ne dici Xistus inter principales abortus auctores mulieres praegnantes annumerasse? nisi grammaticalem verborum sensum pervertere velimus, id affirmari non potest. Ergo quamvis mater, seu mulier praegnans, sit causa principalis abortus, cum inter principales, de quibus Xistus loquitur, comprehendi non possit, numquam excommunicationi erit subiicienda.

Dubium est iuridice an comprehendatur? *Lex dubia non obligat:* dubium est de facto? *In dubio favendum est reo.* In antiquo igitur iure mulier praegnans abortum utcumque procurans non poterat excommunicationi subiici, eoquod, ut parum dicamus, opinio graviter probabilis ab excommunicatione eam eximebat.

Quid autem in novo iure? quid post Pianam Constitutionem? Commentatores non pauci, quos inter noster Avanzini, excommunicationi mulierem praegnantem submittunt, si abortum procuret. Hisce sed vero nituntur argumentis:

1. Quia lex generalis est, et cum non distinguat, nec nos distinguere debemus.

2. Quia aperta legislatoris voluntas est, abortum impedire; quo igitur pacto supponi potest voluissse matres ab excommunicatione eximere, quae plerumque aut sunt, aut certe esse possunt abortus causae principales?

3. Quia cum in Piano capite non comprehendantur faventes, consulentes, si ipsae mulieres praegnantes excludantur, lex impune violari poterit. Possent enim principales suadere mulieri ut specialibus mediis abortum procuret, atque ita omnes excommunicationem effugerent, et legem inutilem redderent.

4. Praetermittimus argumentum

quod desumunt ex veteri iure, in quo certum esse propugnant mulieres praegnantes fuisse excommunicationi obnoxias. Ex iis enim quae superius disseruimus cognoscitur quanti valeat.

Verum eiusmodi argumenta alios Commentatores non commovere, et contrariam sententiam, qua statuitur, mulierem praegnantem sub Piana excommunicatione non comprehendi propugnarunt: Hi vero sunt Cretoni adnotat. ad *Gury Tom. II. pag. 618,* Ballerini ad Gury *Tom. II. pag, 1004,* Vecchiotti *Institutiones Canonicae Tom. II, pag. 363,* Del Vecchio *in Theol. Mor., Scavini Tom. I. pag. 719,* scriptores Ephemeridum vulgo *Nouvelle Revue Theologique Tom. XI, pag. 320,* Ninzatti *Theologia moralis Tom. I. n. 401,* aliique. Horum autem sententiam veriorem esse censemus, et in praxi omnino tenendam, saltem usque dum aliqua authentica declaratio non prodierit. Et primo; adversae sententiae patroni propugnant, verba *procurantes abortum*, quae habentur in Piano Capite, eamdem significationem habere ac verba *qui foetus eiectionem . . procuraverint Xistinae* Constitutionis §. 1. Atqui certum est in verbis Xistinae Constitutionis non comprehendi mulieres praegnantes, tum ob sensum grammaticalem, tum quia has inferius diserte Xistus recenset verbis « *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint.* » Ergo adversarii vel negent oportet quod concedunt, vel sin minus evidens est, mulieres praegnantes inter procurantes abortum non comprehendi, consequenter neque post Pianam Constitutionem censura feriri.

2. Ex iis quae superius disputavimus, dubium erat, ut modestiores simus, tum ob rationes intrinsecas, tum ob Doctorum auctoritatem, an in veteri iure mulieres praegnantes excommunicatione plecterentur. At certum undequaque est, Pium Papam IX Constitutione sua censuras limitasse; non possumus hinc, praevio et expresso eiusmodi Pontificis fine, mulieres praegnantes excommunicatas habere.

3. Eo vel magis quod ob naturam legis poenalis odia sint restringenda.

4. Quamvis autem nonnulli Commentatores matres excommunicationi submittant, alii autem neque pauci, neque inferioris auctoritatis eas subducunt. Habemus hinc probabilitatem extrinsecam ob Doctorum pluralitatem, habemus illinc probabilitatem intrinsecam ob allatas rationes, habemus demum certitudinem ob ea quae adversarii concedunt; ergo non videmus quanam de causa mulieres praegnantes Piani capitis debeant excommunicationi submitti (1).

(1) Clarissimus atque doctissimus Commentator Reatinus in edit. anni 1873, n. 19 scripserat: Procurantem accipimus, excepta matre (quam adhuc excusari

Neque adversariorum argumenta tanti valent quanti primo intuitu videntur. Primum enim, quod lex generalis sit et nihil distinguat, non debent adversarii proferre, qui verbum *procurantes* Piani Capitis coarctant ad sensum verbi *procuraverint* Xistinae constitutionis; cum autem in hoc mulieres praegnantes non comprehendantur; ergo neque in illo: distinctionem igitur ipsi adversarii admittunt et propugnant. De cetero utique cum lex non distinguit, distinguendum non est; at distingui debet si lex ipsa distinctionem innuat, suadeatque.

Solida hinc nullo modo videtur ratiocinatio Commentatoris Patavini qui ad inducendam in praegnantem mulierem excommunicationem analysim instituit in verbum *procurare,* atque scribit: « Potest aliquis abor» tum procurare *in se et in alio;* » nempe mater ipsa foetum ex sese » ante tempus abigere potest; alii » vero efficere possunt, ut mater » conceptum foetum eiiciat. Utraque » ratio criminis perpetrandi vere » ac proprie procurationem abor» tus importat; utraque proinde sta» tuta excommunicatione plectenda » est; nemini enim fas est distin» guere, ubi lex non distinguit, » neque distinctioni ullum locum » relinquit. » Solida, inquam eiusmodi ratiocinatio non videtur, et insuper difformis a principiis ab cl. auctore positis reperitur. Etenim cum ipse statuerit procurantes in Piano Capite eosdem esse ac illos, de quibus Xistus V loquitur §. 1. suae Constitutionis, ad eundem sensum debuerat coarctare pianum verbum; porro, ut diximus, in verbo *procuraverint* Xistinae Constitutionis, non includuntur mulieres praegnantes; non poterat igitur Patavinus Commentator verbum *procurantes* Piani Capitis distinguere et applicare etiam ad illas. Eiusmodi insuper distinctio indoli legis odiosae adversatur quae stricto sensu est interpretanda; eo vel magis et quod in antiquo iure disceptaretur, an mulieres praegnantes inter procurantes abortum essent annumerandae, et negantium opinio esset probabilior, et Pius Papa IX cum quaestionem nosset, ne verbum quidem addidit, ut etiam praegnantes mulieres sub lata a se lege comprehendi intelligerentur.

Secundum argumentum petitum ab manifesta Legislatoris voluntate impediendi abortum adversarii praetermittere pariter deberent. Si enim

puto ob metum infamiae, vel alterius gravis mali). At in *edit. an. 1880.* « Quae» stio elegans est, scribit, at mater huic excommunicationi eximatur ut antea. » Multi affirmant; alii negant, quia lex non distinguit, et recte: nempe excepta » gravioris timoris causa. » Cum tantus vir n. 153 scripserit *procurantes vero heic accipere convenit prout illic, id est* §. *1 Xistinae Constitutionis,* non intelligimus qua ratione ductus a prima sententia recesserit; praesertim quod affirmet in veteri iure matrem huic excommunicationi exemptam fuisse.

haec Legislatoris voluntas fuit, 1. quomodo affirmare possunt verbum procurantes in Piano Capite eumdem sensum habere ac in §. 1 Xistinae Constitutionis? quandoquidem in hac innuit tantum principales agentes et mandantes; *qui per se aut interpositas personas . . . . foetus eiectionem procuraverint*. At hoc supposito, voluntas absoluta Legislatoris impediendi abortum, ad hos tantum restringi debet. 2. Et quidem iure meritoque; cum enim de voluntate Legislatoris complectendi etiam mulieres praegnantes sub relatis verbis aperte non constet, si etiam ad has illa extendamus, peccamus in iuridica effata: *odia sunt restringenda: in poenalibus quod minimum sequendum: in poenalibus benignior fit interpretatio*. 3. Si eiusmodi voluntatem Legislatoris absolute, et sine ulla limitatione admittamus, nonne nimis probaret? comprehendisse scilicet sub lege quoslibet, qui quomodolibet, favorem, consilium, opem praestando, ad abortum conferrent. Aliquando enim plus mali infert pessimus consiliarius, quam alius quilibet. Unde vero, supposita eiusmodi absoluta et illimitata legislatoris voluntate abortus impediendi, dignoscunt adversarii hos sub Piano Capite non comprehendi? Quandoquidem etiam ipsi consilio, favore, et certe ope abortum procurant. Utique dicturi erunt, a legislatore intellectos inter *procurantes* illos tantummodo fuisse qui curam et operam dant sive per se, sive per alium ut abortus fiat. Ergo non ex voluntate legislatoris, sed ex sensu verborum, quibus concepta lex est, quaestio est dirimenda; ergo cum sub verbo *Procurantes* Piani Capitis mulieres praegnantes comprehendi non possint, eo quod eamdem extensionem habeat ac verbum *procuraverint* Xistinae Constitutionis, ut adversarii ultro concedunt, in quo mulieres praegnantes nullo modo comprehenduntur; ex ipsa adversariorum concessione inferimus, mulieres praegnantes non esse sub Piano Capite comprehendendas, quamvis legislatoris voluntas fuerit abortus impedire.

Neque rationes desunt, quare legislator potuerit et fortasse debuerit eas excommunicatione eximere. Mulieres enim numquam abortum procurant nisi timoris alicuius gravis causa; at timor gravis ab excommunicatione excusat: quoad has igitur Legislator inutilem excommunicationem tulisset. Legislatores autem non supponuntur inutilia decreta sancire et promulgare.

Tertia ratio solidior non apparet, cum innitatur maiori latae legis extensioni, seu comprehensioni illorum qui poenis affici deberent. In primis debent in poenalibus illi tantummodo comprehendi qui sub verbis latae legis comprehendi intelliguntur; neque ex quo minor sit legis in dato casu extensio, potest quis illam ad alios extendere. Etenim legis poenalis finis non

absolute spectandus est, sed relative ad verba quibus lex exprimitur; sin minus leges poenales essent, contra notissima iuris effata, extendendae de casu in casum ob rationis similitudinem, vel paritatem. Deinde, quamvis latis poenis in casu excludantur tum matres, tum mandatarii, tum complices secundarii, non sequitur legem inutilem evadere: Etenim mandantes et principales agentes semper comprehenderentur. Utique hi possent suadere mulieri ut pharmaca sumat, vel ut alia media opportuna adhibeat ad foetum abigendum: verum quid inde? Et prudens ille est qui modum novit transgrediendae legis, quin eius poenas incurrat; et lex semper aliquo pacto servatur, cum transgressores illam aperte transgredi timeant; in casu ex. gr. neque mandent abortum, neque illum directe procurent; quod facturi fuissent, si lata lege deterriti non fuissent. Hinc etiam melius abortivorum saluti consultum reperimus, etenim cum matres ita oblivisci non possint infantem suum, ut non misereantur filio uteri sui, eorum salutem vel temporalem, si possibile est, sine proprio dedecore vel saltem spiritualem curabunt. Homines e contra tanta misericordia non ducuntur. Inutilis ulterius lex non redderetur relate ad omnes alios quos certe afficeret. Nostris enim temporibus, medicorum et obstetricum praesertim opera abortus procurantur; qui cum directe agant et liberrime, lata excommunicatione certe afficiuntur, sicut et omnes alii qui eadem in iisdem conditionibus perficerent. Lex hinc inutilis non redditur, quamvis matres excommunicatione excludantur. Demum, quod iam adnotavimus, non licet poenalem legem extendere, quod hic casus vel ille sub ea non comprehendatur.

Exinde iure inferre censemus, non posse mulierem praegnantem excommunicationi subiici, nisi saltem declaratio aliqua legislatoris accedat. Rationes enim quae eam excommunicatione eximunt validissimae sunt, quaeque contrariorum argumenta, saltem ut nobis videtur, elidunt.

III. Expendamus post haec conditiones necessarias ad eiusmodi excommunicationem incurrendam.

Atque unica quidem est, scilicet ut abortus reapse secutus fuerit: *effectu sequuto*. Qua de causa excommunicatione damnandus non est qui quamvis medicamenta, potiones, aliaque afficacissima remedia ad abortum inducendum adhibuerit, tamen abortus secutus non est; deest enim conditio a legislatore posita ad incurrendam excommunicationem.

Quoniam autem abortus procedere debet ex causis, quae positae sunt ad illum inducendum; procurare enim, ut diximus, est aliquid ex industria quaerere aut velle; sequitur hinc, quod si abortus ex aliis causis sequatur, excommu-

nicatio non incurratur, cum non sit secutus ex procuratione adhibita ad illum inducendum; ex. gr. si mulier post accepta et adhibita remedia, quae abortum certe productura fuissent, proruat, vel morbo aliquo afficiatur etc., ex quo abortus sequatur.

Id autem tenendum est etiam in dubio an abortus ex adhibitis remediis sequutus fuerit, tum quia Ecclesia non intendit infligere excommunicationem pro casibus dubiis; tum quia in dubio favendum est reo, tum quia in dubio gravis ratio adest ad eximendum reum ab excommunicatione. Haec est de cetero Commentatorum omnium sententia. Hinc si qui abortum sive per se, sive per interpositas personas procuraverit, et certus morali certitudine non est, illum ex praestitis remediis vel causis derivasse, non est de excommunicatione damnandus.

Sequitur pariter ex quo procurare sit aliquid ex industria quaerere et velle, abortum debere esse directe voluntarium, et immediatum voluntatis obiectum, quem scilicet quis intendat in se, quamvis ex causis positis non illico et immediate sequi praevideatur, sed post aliquem temporis tractum. Si quis, ex. gr. mulieri praegnanti quotidie non ita gravia onera imponat, ut abortum illico producant, attamen certo productura sint post mensem. Hic enim vere, proprie, et directe aliquid ex industria vult et quaerit. Non incurritur consequenter excommunicatio si abortus sit tantum voluntarius in causa, quia volutarium in causa in se non intenditur, sed id in se intenditur ex quo effectus sequitur; ex. gr. qui vinum bibit, ex quo ebrietatem sequuturam praevidet, primo et directe non ebrietatem, sed vinum vult: qua de causa qui vellet abortum in causa, ipsum abortum ex industria neque quaereret, neque vellet; excommunicationi hinc non esset subiiciendus ille qui ex ira et odio mulierem praegnantem graviter percutit, ex qua percussione abortus sequatur.

Etiam hoc in capite Commentatores concordes reperiuntur.

Nemo vero aliquid ex industria quaerere aut velle potest sine cognitione, nemo excommunicationem incurrere cum ignorantia legis quae abortum sub excommunicationis poena prohibet. Censura enim quaelibet sine contumacia non incurritur, sed contumacia sine excommunicationis cognitione neque concipitur, *non enim contemnit qui ignorat*. Hinc Procurantes abortum ad incurrendam eiusmodi excommunicationem debent necessario scire, abortus procurationem prohibitam esse sub excommunicationis poena. Si igitur nesciant, excommunicationem non incurrunt.

De Varceno atque Commentator Patavinus affirmare videntur, in antiquo iure mulctatos censura fuisse eos qui scienter procurassent

abortum: « Quamvis summus Pontifex, inquit ille, *Theol. mor. Tom.2, p. 495* in hoc articulo non expresserit verbum *scienter*, nihilominus cum per hanc Constitutionem limitaverit censuras quoad numerum et earum extensionem, rationabiliter putamus voluisse, ut verbum procurantes deberet intelligi *scienter*, sicut in dicta Xisti V Constitutione.

Alius vero *pag. 250, n. 337:* « Cum Xistus V, tum Gregorius censuram adixerant in eos, qui *scienter* procurabant abortum. Ergo ad contrahendum nunc censuram satis erit contumacia minor, nec ita facile in ignorantia aut metu, titulus qui ab ea incurrenda excuset, reperiri posthac poterit. »

Ni fallimur eiusmodi sententia admittenda non est. Xistus V enim adverbium *scienter* in §. 1. non de procurantibus dixit sed de mulieribus praegnantibus: *ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint;* de procurantibus vero simpliciter edixerat: *omnes et quoscumque, qui per se aut interpositas personas abortus... eiectionem procuraverint;* nec ulla grammaticalis sensus ratio exigit, ut adverbium *scienter* ad procurantes referatur; imo ratio intercedit, quare ad unas praegnantes mulieres sit limitandum; his enim possunt venena, pharmaca, potiones porrigi alio quam abortus praetextu; quo in casu nullam omnino possunt excommunicationem incurrere: procurantibus vero, cum ex industria et voluntate faciant, absoluta malitia tribuenda est; hinc nullo modo eis ignorantia tribui potest; atque insipientissime Xistus eis applicasset adverbium *scienter.*

Neque difficultatem facessit parapraphus septima, in qua Xistus excommunicatione ferit *omnes et singulos . . . qui vel quae, vel uti principales, vel ut sociae consciaeve ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem* etc. scienter *dederint*. Etenim adverbium *scienter* numquam ad principales referendum est, sed ad alios complices, qui ad facinus committendum dant opem, consilium etc. quae de principalibus agentibus dici nequeunt. Complices vero, cum procurantes non sint, prout hoc verbum a Xisto sumitur in §. 1, excommunicatione sunt eximendi, et eximuntur, saltem nonnulli, ab illis ipsis, quorum sententiam respuimus; quin imo omnes prorsus eximuntur, cum in Piana Constitutione verbum *procurantes* sumant eo sensu quo in citata prima Constitutionis Xistinae paragrapho. De cetero haec est etiam cl. P. Ballerini sententia, qui in notis ad *Theol. Mor. P. Gury Tom. 2. p. 1003 nota 6* scribit: «Et cum in eadem Constitutione (§. 7.) ab hisce ceu principalibus distinguantur ii, *qui ad tale facinus committendum* opem... *scienter dederint;* palam esse debet hosce postremos censu procurantium non

contineri. » Scientia igitur aequaliter exigitur tum in mulieribus praegnantibus tum in procurantibus abortum, cum in his semper supponenda sit, in illis hypothetice. Ex dictis autem manifestum est, Pium Papa IX eodem sensu verbum *procurantes* adhibuisse ac Xistum in sua Constitutione. Ergo tum Pius, tum Xistus aequalem scientiam in procurantibus requirunt. Procurare autem est aliquid ex industria quaerere et velle, quod scientiam importat; ergo quamvis uterque legislator, quantum ad procurantes attinet adverbium *scienter* praetermiserint, hoc subintelligendum necessario est, cum in verbo *procurare* necessario includatur.

Exinde sequitur, ignorantiam quamlibet excludi, cum nulla cuiusvis nominis, cum procurantibus conciliari possit, atque subsistere: *procurare* enim *et ignorare* implicat contradictionem.

Addimus, utrumque auctorem falsum ratiocinium consuere. De Varceno enim pronuntiat: *Diximus 4° ut abortus fuerit procuratus cum cognitione huiusmodi excommunicationis*, « quia ab hac » censura excusat ignorantia etiam » crassa et supina, non tantum » iuris, id est ignorantia latae censurae, sed etiam facti, scilicet » effectus qui potest sequi a propinatione medicinae. Nam quamvis in hoc articulo summus Pontifex non expresserit etc. »

Profecto adducta scientiae ratio nihil evincit. Supremi enim Pontifices in suis legibus non scientiam excommunicationis exegerunt, sed scientiam abortus; ad hunc enim refertur adverbium *scienter;* praesertim quod de mulieribus praegnantibus dictum est, quibus falso praetextu possunt potiones, medicinae, aliaque praeberi ad abortum inducendum; atque de complicibus qui pariter alio nomine possunt in complices advocari. Scientiam autem excommunicationis ineptissime exegissent, cum haec per se supponatur; adducta igitur a cl. De Varceno ratio extra argumentum vagatur et nihil prorsus evincit.

Idipsum vero dicatur de consequente illato ab cl. Commentatore Patavino in testimonio superius adducto, cum ab scientia abortus ad scientiam excommunicationis concludat.

Quid ergo dicendum? Profecto quod si procurantes, quacumque ignorantia detenti, excommunicationem ignorent, eam non incurrunt.

Idem de timore gravi dicite, qui mulieri incutiatur foetus abigendi causa. « Gravis metus, in» quit S. Alphonsus *Theol. mor.* » *lib. VII. n. 46.* excusat ab in» currenda censura, etiamsi res » alias iure divino sit prohibita; et » ideo, qui ob gravem metum pa» traret homicidium vetitum sub » censura, peccaret quidem, sed

» non incurreret censuram; quia » non peccaret contra ius Ecclesiae, » contra cuius potestatem specialis » iniusta contumacia ad censuram » requiritur. » Scilicet omnimodis voluntaria, quaeque delictum sub censura vetitum ad finem usque prosequatur; contumacia enim debet esse completa.

Ex quo quis inferat, non esse de excommunicatione damnandum eum, qui postquam ad abigendum foetum mulieri praegnanti sive pharmaca porrexerit, sive alia media adhibuerit, antequam mulier foetum abigat, facti poeniteat, modisque omnibus quaerat abortum impedire. Contumax enim dici non potest, consequenter neque excommunicationem incurrisse. Utique hanc sententiam non omnes admittunt; attamen eius probabilitas neganda non est, tum ob vim intrinsecam, tum quia ipse S. Alphonsus probabilem illam esse non negat, ea prorsus ratione « quia dum postea » evenit laesio (sive effectus a principio intentus) ille non est contumax; unde non debet incurrere » censuram quae est poena medicinalis ad impedienda peccata. » *Theol. mor. VII. n. 40.* Per veram autem probabilitatem excommunicationem excludi in dubium revocari non debet.

Et haec quidem circa excommunicationem dicta sint: Circa vero irregularitatem aliasque poenas a Xisto V in procurantes abortum illatas, observandum est, a Pio Papa IX nullo pacto abrogatas fuisse ideoque adhuc vigere dicendae sunt, cum in Constitutione *Apostolicae Sedis* censurae quidem limitatae fuerint, non autem poenae, nullitates actorum, privationes, inhabilitates, ut iam in Commentario nostro observavimus, omnesque observarunt Commentatores.

Attamen relate ad irregularitatem illustres scriptores Ephemeridis *de la Nouvelle Revue théologique Tom. XI, pag. 311* tria affirmant: 1. ab Gregorio XIV irregularitatis poenam limitatam fuisse ad solum abortum foetus animati; his autem assentitur etiam cl. Commentator Patavinus (1); 2. ad illatas poenas decernendas attendendam esse antiquam legislationem circa foetus animationem; qua de causa contra cl. Ballerini tenent sententiam propugnatam a R. P. Konings qui ita loquitur: « Hinc irregularitas non » incurritur nisi post octogesimum » a conceptione diem abortus pro» curatus fuerit; nam in praxi sua » poenali Ecclesia, quousque con» trarium non constat, censenda » est sequi opinionem, iuxta quam » mares quadragesimo, foeminae » octogesimo a conceptione die ani» mantur; et in casu semper du» bius est foetus sexus. » Concludunt hinc, non esse a prolata sententia recedendum nisi cum Ec-

(1) Gregorius XIV . . . in sua Const. *Sedes Apostolica* poenam irregularitatis . . . ad eos tantum limitavit, qui procurant abortum foetus animati.

clesia antiqua iura lata lege in re immutaverit. 3. Poenis in veteri iure inflictis teneri etiam abortus complices, excepta excommunicatione.

Atqui primum falsum esse ex eo probamus quod Gregorius XIV unam tantum excommunicationem reservatam Pontifici iuxta Xisti Constitutionem tam pro abortu foetus animati quam inanimati, Episcopis reservarit pro foetus animati abortu; de irregularitate autem nihil omnino dixerit « Nos . . . utilius censen» tes, ubi nec de homicidio, nec » de animato foetu agitur, poenas » non imponere duriores iis, quae » per sacros Canones et leges pro» phanas sunt inflictae . . . Con» stitutionem praedictam sic duxi» mus moderandam, *ut a peccato » et excommunicatione* contra per» sonas ibi expressas lata etc. » Auctores ergo citati, quod Gregorius de una excommunicatione decreverat ad irregularitatem extenderunt.

Eam autem non fuisse Gregorii mentem ex eo quoque evidentissime colligere poterant, quod ipse poenas illatas a Xisto V in procurantes abortum foetus inanimis reduxerit *ad terminos iuris communis, ad Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini dispositionem.* Atqui Concilium Tridentinum *Sess. XIV, Cap. VII de Reform.* pro homicidis voluntariis prorsus irregularitatis poenam statuerat « nullo tempore « ad sacros ordines promoveri possit » sed omni ordine, ac beneficio, » et officio ecclesiastico perpetuo » careat: » idque etiamsi homicidium fuerit occultum. Si igitur Gregorius XIV irregularitatem servavit a Tridentino statutam contra homicidas voluntarios pro abortu foetus inanimati, quomodo arbitrari possumus irregularitatem limitasse pro abortu foetus animati; hanc scilicet reservasse Episcoporum auctoritati? Irregularitas enim a Tridentino inducta in cit. cap. nullo modo est Episcopis reservata, sed Romano Pontifici. Quantum igitur ad irregularitatem attinet, Gregorius XIV nihil de Xisti constitutione immutasse reperitur; atque etiam post Pianam Constitutionem in eodem statu manet ac in veteri iure manebat tam pro abortu foetus animati quam inanimati. Ideo vero Xisti Constitutionem Gregorius temperavit, quia illa in reos abortus etiam inanimis praeter perpetuam inhabilitatem, ad Concilii Tridentini formam, statuerat etiam poenas in iure statutas contra veros homicidas.

Exinde vero patet etiam responsio ad secundam quaestionem. Cum enim Gregorius XIV nihil immutaverit in re de Xisti Constitutione, nihil pariter Pius Papa IX, sequitur evidentissime irregularitatem nunc incurrere quoslibet procurantes cuiusvis foetus abortum, neque ullo modo esse distinctionem attendendam inter foetus animatos et inanimes. Atque idipsum dicite

de tertia quaestione. Complices enim abortus foetus inanimis a Gregorio XIV subiiciebantur iisdem poenis ac procurantes, dum Xistus V et in hos statuerat poenas illatas contra veri nominis homicidas. At certum est ex dictis, Gregorium XIV contra procurantes abortum foetus inanimis statuisse irregularitatis poenas; ergo et complices eamdem poenam incurrunt.

Haec vero ut ex latis iuribus argumenta desumamus. De cetero nullo modo nobis spernenda videtur ratio a cl. Ballerini adducta, imo talis nobis apparet, ut rationi allatae a R. P. Konings praeferenda sit; primo quidem quia cum Pius Papa IX nullo modo dixtinserit inter abortum foetus animati et inanimis, hoc ipso videtur dixtinctionem scholasticorum posthabuisse; secundo quia certum est scholasticorum sententiam de foetus animatione falsam omnino esse; quae autem falsa sunt non indigent declaratione principis ut falsa habeantur, sed per se corruere, una cum iuribus, doctorumque opinionibus et sententiis quibus innitebantur.

IV. Post haec videamus an et quando licitum sit abortum procurare.

Et 1. illicitum esse abortum procurare ne puella aut infamiae aut occisionis periculum subeat cèrtum est ex propositione 34 damnata ab Innocentio XI. *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Admissa enim huiusmodi sententia, abortibus quibuscumque latissìma aperiretur via, cum nulla sit mulier quae ex illicita conceptione infamiam saltem non referat; puellae vero praeter infamiam manifestam, parentum gravissimam iram timere non debeant. Furtivis enim conceptionibus mulieres illae dant operam quae bonum nomen servare desiderant; ceterae, quibus nullum nomen, res publica sunt, quibus consequenter de illicitarum coitionum effectibus nulla cura, atque conceptos foetus ad expositorum domos mittunt.

Ex clarissimo autem Antonio Ballerinio ea fidenter desumemus, quae de abortus liceitate, variarum circumstantiarum habita ratione, disputabimus.

Porro *Theol. Mor. Tom. 1. pag. 384. Edit. 1878* ita loquitur.

1. Ubi certa sit mors alterius, aut matris scilicet, aut prolis, certa autem alterius vita, et quaestio sit de morte dumtaxat temporali, quia v. gr. baptismus proli nondum natae potuit conferri (1), non tene-

(1) Cum ars chirurgica modo instrumentum repererit, quo membranae foetum involventes ita scinduntur, ut aqua ope siphunculi iniecta foetum immediate tangere certo possit, atque adeo cum iuxta ea, quae S. Alphonsus (*lib. VI. n. 107.*) post Benedictum XIV disserit, de validitate Baptismi infantibus utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus: proinde fere cessant difficultates et quaestiones

tur mater mori, ut vitam filio temporalem conservet (1).

Sed hic casus perrarus omnino est; quandoquidem (ut dicit S. Alphonsus, *lib. 3. n. 394*) *moraliter impossibile est, ut pene miraculum sit, quod pereunte matre, proles supervivat. Idque mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului.*

Et hoc quidem valet, etiamsi agatur de caesarea operatione; quae praeterea cum peritissimos requirat medicos, et matrem robustam, raro id locum habet, praesertim cum hoc remedium requiri tunc soleat, quando incassum alia remedia adhibita sunt, atque adeo quando et mater et proles e longa lucta prostratas habent vires.

II. Imo s. Alphonsus *(lib. 6. n. 106)* prae oculis habens illud s. Thomae *(3. q. 68, art. 11, ad 3)*: *Non sunt facienda mala ut eveniant bona; et ideo homo non debet occidere matrem ut baptizet puerum;* concludit, matrem, quando mortis periculum sit *proximum aut probabile,* non teneri ad discrimen illud subeundum, ut proles baptizetur, nec chirurgum posse ipsam in hoc discrimen inducere.

III. Si mater morbo correpta, gravi mortis periculo laboret, nisi foetus partum accelerando expellatur; probabilis autem spes sit, ope medicinae effici posse, ut foetus vivus in lucem prodeat, atque adeo sin minus temporalem, saltem aeternam vitam adepturus sit; tum eiusmodi expulsio non modo licita videtur, sed praecepta. Ratio quia matris periculum ac mors nihil prodesset vitae temporali prolis, et insuper in gravissimum salutis aeternae discrimen ipsam prolem coniiceret.

Nec obesse debet, quod forte mors prolis paululum acceleretur. Nam primo quidem ex praedictis cum Lugo non tenetur mater cum tanto discrimine vitam prolis ulterius conservare. Deinde vero *in eo casu,* ut inquit S. Alphonsus *(lib. 6. n. 106. in fine) negligi potest parva illa vitae iactura, uti nfans vitam aeternam consequatur.*

IV. Quando, aegrotante matre, periculum abortus aeque instat, tum si illa remedium ad morbum curandum sumat, tum si non sumat, eo quod vis ipsa morbi (ut subinde contingit) abortum infert, licet medicinam sumi: neque enim pro-

a veteribus Doctoribus motae circa pericula quae mater subire teneatur, ut aeternae saluti prolis prospiciatur.

(1) Haec autem ex iis confirmantur quae disserit Cordinalis de Lugo *De iustitia et iure Disp. 10. n. 133.* « Mater non tenetur cum tanto vitae suae pe» riculo et detrimento procurare et conservare foetum: sicut nec natum iam filium » tenetur cum vitae discrimine alere et retinere, neque etiam ad eum lactandum » conservare lac in uberibus, quando ad propriam vitam tuendam necessarium ei « esset ubere arefacere. »

desset proli abstinentia a remediis, atque adeo mater vitae suae consulit sine maiori prolis detrimento. Atqui si absque maiori prolis detrimento mater potest vitae suae consulere, non solum licite potest, sed propter obligationem, quam quisque habet vitam suam conservandi per ordinaria remedia, medicinis uti prorsus debet.

V. Si ex vi morbi probabile immineat periculum abortus, simul vero periculum instet, ne si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur; contra vero probabilis spes affulgeat, quod accelerato per medicinas partu, proles in lucem viva proditura sit, et sic aeternae eiusdem saluti prospici possit; incerta vitae temporalis spes non videtur praeferenda probabiliori spei salutis aeternae, atque adeo accelerare partum liceret. Quod quidem dicendum est valere, etiamsi morbus nullum vitae matris periculum inferat, sed solum de meliori bono prolis agatur.

VI. Quando habitā ratione status tum physici tum moralis matris (quae scilicet non ita incisionem exhorreat, ut proli vel solus hic horror graviter nocere queat), et simul spectatis tum statu prolis, tum medici peritia, prudenter existimari queat, per caesaream operationem in grave periculum matrem inductum non iri, prolis vero consuli posse non modo temporali, sed etiam aeternae vitae, dicendum est teneri matrem ad incisionem patiendam, licet saluti aeternae prolis prospici aliter posset. Requiritur tamen ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam secus pro incerta spe vitae temporalis filii (aeterna enim curari aliter potest, ut diximus) non tenetur mater probabile periculum vitae suae subire.

Hisce vero criteriis a clarissimo P. Ballerini traditis resolvi posse putamus quaestiones frequentiores quae circa abortus contingere solent.

ARTICULUS SECUNDUS

CAPUT II.

De Craniotomia

Ad perpendendam hoc in capite accedimus gravissimam craniotomiae quaestionem, circa quam doctores plerique in oppositas omnino sententias abeunt, alii liceitatem, alii illiceitatem et propemodum iniquitatem propugnantes. Avanzinius noster, (1) Ballerini, D'annibali, Apicella (2), atque eruditione et argumentorum copia, utpote qui

(1) Acta S. Sedis Tom. VII, pag. 285.
(2) La Craniotomia considerata in riguardo alla morale.

ex instituto sententiam defendendam suscepit, caeteris praestans Daniel Viscosi (1), demum ut alios praetermittamus, Victorius Constantini craniotomiam licitam esse defenderunt (2).

E contra Pacificus Ciarmadori s. Theologiae Professor (3); clarissimi scriptores Ephemeridis *L' apologista cattolico di Mondovì 30 et 31 Iulii 1873* atque prae ceteris Alphonsus Eschbach sacrae Theologiae Doctor, atque Gallici Seminarii Romani Rector (4) demum Ciolli Alexander (5) alios inter, acerrime craniotomiae liceitatem impugnarunt.

Audivimus viris sapientia praestantibus huius quaestionis studium commissum fuisse; si sententia aliqua aliquando prolitūra sit, ei omnes animum mentemque humiliter et sincere accommodabimus; cum autem modo adhuc liberi simus; ea qua decet humilitate et modestia sententiam nostram etiam nos in re proferemus.

Antea tamen non abs re esse putamus hinc inde argumenta proponere, quae sive a defensoribus, sive ab impugnatoribus afferuntur; idque ne quid lectores nostros lateat, et rectum deinde iudicium sibi efformare et pronuntiare valeant.

Craniotomia igitur, seu alio nomine embryotomia, est occisio infantis in utero matris, ut haec ab morte certa liberetur; atque tunc a medicis perficitur, saltem perficienda est, cum foetum mater nullimode ab utero eiicere potest; atque hinc foetus per instrumentum vivus discerpitur et postea forcipe mediante extrahitur.

Triplex autem casus in Craniotomia dari, seu tripliciter considerari potest; vel per operationem caesaream consuli potest vitae tum infantis tum matris; vel operatio caesarea, impossibilis est ob matris languorem, aut alias ob causas, et expectari potest infantis mors cum spe vitae matris; vel alia non adest spes matris vitae consulendi nisi per occisionem infantis, qui de cetero vel ante vel paullo post certae morti succumbet, ita ut nullo modo salvari possit.

Porro ne in dicendis confusio oriatur, sub hoc tertio respectu tantum embriotomiam consideramus; omnino praetermissis prioribus casibus; etenim si per operationem caesaream consuli potest matris et infantis vitae, consulendum est,

(1) L'embriotomia nei suoi rapporti colla Morale cattolica.

(2) Institutiones Theologiae moralis, Pars altera pag. 287 288. Edit. 1882.

(3) Sulla questione morale promossa dal ch. Pietro Avanzini. Dissertazione di D. Pacifico Ciarmadori Professore di Teologia nel Seminario Vescovile di Sanseverino delle Marche.

(4) L' embriotomia sotto il punto di vista teologico e morale. Roma 1880.

(5) Direttorio prattico del Confessore novello. Siena 1883 pag. 516 et segg.

iuxta tamen ea quae tradit S. Alphonsus *Thol. Mor. lib. 6. n. 106.* « Respectu ad Chirurgum dico, » tunc posse incidere matrem, si » periculum mortis illius sit remo- » tum; secus si proximum aut pro- » babile; sicut enim illicitum est » occidere matrem ut puer bapti- » zetur, ut vidimus cum communi » ex S. Thoma; sic etiam non licet » matrem probabili periculo mortis » exponere. Quod periculum non » video quomodo vitari possit in » tam gravi incisione.

Si cum probabili vitae matris spe expectari potest mors naturalis infantis, expectanda est, dummodo spes vitae matris sit magis probabilis quam mortis periculum, et haec maior probabilitas certis ex indiciis constet; secus enim iuxta ea quae superius ex P. Ballerinio tradidimus casus est resolvendus. Quaestio igitur est: *an ad salvandam vitam matris, cum aliud nullum remedium suppetit, possit infans per aptum instrumentum, atque praevio baptismate, in utero matris interfici.*

Porro qui id licitum esse defendunt hisce nituntur argumentis.

1. Quia occisio infantis est indirecta, cum directum non tantum ex causa phisica quae ad producendum effectum adhibetur dependeat, sed etiam et praecipue ex voluntate; ita ut quamvis instrumentum in casu directo infantem in utero matris interficiat, tamen quia voluntas primario et directe intendit matris salutem, occisio illa infantis non potest dici directa. Id autem confirmant tum ex iis quae tradit s. Thomas l. p. q. 19. art. 2. ad 2 « In his quae volumus pro- » pter finem, tota ratio volendi est » finis, et hoc est quod movet vo- » luntatem, et hoc maxime appa- » ret in his, quae volumus tantum » propter finem. Qui enim vult » sumere potionem amaram, nihil » in ea vult nisi sanitatem; et hoc » solum est quod movet eius vo- » luntatem, » tum ex definitione, quam de voluntario tradit s. Alphonsus lib. V. n. 6. « Volunta- » rium directum est quod est vo- » litum, et intentum ex seipso: in- » directum est volitum in causa vo- » luntario posita, iam praeviso » effectu, licet non intento. » Ex quo Viscosi, cuius ratiocinia referimus, ita argumentatur Op. cit. pag. 31. Hinc ad habendum voluntarium directum, non est considerandus modus, quo causa ab aliquo posita producat effectum, accidentaliter scilicet vel pes se, sed ratio finis actus voliti. Si causa aliqua producit effectum accidentaliter, sed operans voluit effectum, actus volitus est directus; e contra erit indirectus, si aliquis nolit effectum quem causa per se producit, sed ponat tantummodo causam, postquam praeviderit effectum.

Idipsum citatus auctor probare conatur ex doctrina, quam s. Thomas tradit 2-2. q. 64. a 7. circa eum qui sese ab aggressore de-

fendit, qui non tam mortem aggressoris, quam propriae vitae conservationem intendit; utrumque autem ex uno actu profluit, hoc primum et per se, illud praeter intentionem. « Nihil prohibet unius » actus esse duos effectus, quorum » alter solum sit in intentione, » alius vero sit praeter intentio- » nem. Morales autem actus acci- » piunt speciem secundum id quod » intenditur, non autem ab eo, » quod est praeter intentionem, » cum sit per accidens. Ex actu » ergo alicuius seipsum defenden- » tis duplex effectus sequi potest; » unus quidem conservatio pro- » priae vitae; alius autem occisio » invadentis. Actus ergo huiusmodi, » ex hoc quod intenditur conser- » vatio propriae vitae, non habet » rationem illiciti; cum hoc sit » cuilibet naturale, quod se con- » servet in esse quantum potest.»

Ergo, concludit *pag. 35,* cum iuxta s. Thomam *morales actus accipiant speciem secundum id quod intenditur; non autem ab eo, quod est praeter intentionem, cum sit per accidens;* quamvis causa physica, ex. gr. gladius directe et per se occidat aggressorem; huius tamen mors erit per accidens, quia praeter intentionem.

Cum itaque chirurgus dum infantem in utero matris interficit, non eius mortem, sed matris sanitatem unice intendat; mors infantis indirecta dicenda est, cum sit praeter intentionem.

Licitum autem esse foetus mortem indirecte procurare, sive causam ponere ex qua praeter intentionem eius mors sequatur, quando unius causae sunt duo effectus theologi omnes concedunt.

Secundum argumentum desumunt ex doctrina, qua traditur e duobus malis minus tuto eligi posse et persuaderi, quam doctrinam post s. Augustinum tradit s. Alphonsus tum alibi, tum *lib. V.* n. 77. scribens: *licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a maiori; tum Sanchez lib. IX. Dist. XX. n. 19. Inter duo mala, quorum alterum necessario eligendum est, minus praeferendum esse.* Etenim minus malum est semper bonum.

Idque nedum generice ab doctoribus traditur, sed etiam specifice, et in casu; Simon enim a Brixi prorsus eiusmodi rationem affert inter alias ad probandam sententiam medici, qui *infirmanti et praegnanti mulieri, cuius vitae secundum artem medicinae succurri non poterat, quominus ipsa cum partu animato periret, suasit abortum;* liceitatem, inquam actionis probavit, *quia ex duobus malis minus est eligendum.* (1)

Eamdem porro rationem refert Thesauro senior *Decis. Pedemontanae Decis. 12 n. 11. Cum enim*

(1) Integrum testimonium habetur in Actis S. Sedis Vol. VII. pag. 522. 523.

in hoc casu non solum ipsius matris sed etiam infantis periculum expectetur, de duobus malis minus est eligendum. Atque Menochius eadem utitur ratione *De arbitr. iudic. quaest.* c. 357, n. 20. *Declaratur secundo ut* (iudex) *non procedat* in eo qui abortioni causam *dedit pro salute mulieris; nam tunc ille ab omni poena excusatur, ita Marianus Socinus.... Quod nulla poena indicenda sit suadet ratio quod hic* rei licite operam dedit. *Si enim mulier mortua fuisset, procul dubio etiam partus extinctus fuisset; recte ergo egisse videtur si unum solum perdidit, ut alterum tueretur* (1).

At negari non potest, impossibile esse in praesenti casu matrem et infantem salvare; imo utrumque periturum esse; chirurgum hinc constitutum esse inter mortem matris et infantis, vel inter salutem certam matris, et necessariam infantis occisionem, qui de cetero vivere non potest; minus autem malum est e duobus unum salvare, quam permittere ut uterque pereat (2).

Tertium argumentum desumunt ex quo licitum sit indirecte occidere innocentem, quod contingere in tribus casibus theologi communiter affirmant. Licet subvertere, inquit Bonacina *De Rest. Dis. II. quaest ult. p. 7. n. 1.* in « bello » iusto moenia vel turrim, in qua » multi innocentes opprimentur, » quando necessarium est ad vi» ctoriam, ut docet Aragon. Less. » et alii. Ratio est quia non in» tenditur mors innocentis sed pro» curatur victoria, permissa morte » innocentium. . . Similiter, licet » interficere innocentem, qui pro » scuto inservit invasori vitam in» iuste oppugnanti, dum non po» test aliter occidi iniustus aggres» sor, et non potest vita propria » aliter defendi; haec enim cense» tur defensio vitae propriae. Pari » ratione excusatur qui non potest » se aliter defendere ab hoste in» sequente, quam fugiendo per an» gustum iter, ubi conculcat in» fantem iam baptizatum, aut ali» quem claudum: nam utitur iure » suo illac transeundo, ut vitam » suam tueatur permissa morte » infantis, vel claudi. Ita Rodri» quez, Iulius Clarus, Lessius etc. »

Clarius Tamburini *Decal. lib. VI, cap. 1. n. 12.* Quaerit « An liceat » aliquando ob tuam defensionem » interficere innocentem te non » aggredientem?

» Solet afferri exemplum du» plex. Primum si quis v. gr. te » aggrediatur obiiciatque, quasi pro » scuto, hominem innocentem; po» tes ne occidere hunc innocen» tem, ut ab aggressore te defen» das? Secundum, si tu, v. gr. » equo assidens fugias inimicum te » occidere volentem, potes ne con-

(1) Ibid. pag. 325.
(2) Ex Viscosi Op. cit. pag. 40 et seqq.

» culcare puerum, vel claudum in » via forte iacentem; si aliter vi» tam tuam servare non vales? » Respondeo: utrumque posse, non » intendendo mortem pueri, nec » offendendo innocentem, sed ag» gressorem, quamvis inde inter» media persona innocens vulnere» tur et cadat. Ratio est, quia id » non est directe occidere, sed tuam » servare vitam; quamvis inde per » accidens et indirecte alterius » mors consequatur; quemadmo» dum omnes concedunt, posse in » bello iusto contra civitatem re» bellem bombardas explodi, quo» rum ictibus moriantur plures » pueri prorsus innocentes, si ali» ter victoria contra civitatem ha» beri non possit. »

At manifestum est, gladium directe et per se interficere innocentem, quo veluti clipeo, utitur iniustus aggressor; equum directe et per se infantem vel claudum conculcare, directe et per se bombardis in obsessa civitate innocentes interfici; attamen horum omnium mortem esse indirectam, eo quod intentio non ad illos occidendos feratur, sed vel ad propriam vitam servandam, vel ad sontes interficiendos. Quid ergo prohibet quin etiam indirecta sit occisio infantis in utero matris, cum ad salvandam matris vitam unice et necessario perficitur?

Quin immo multo magis, cum in citatis casibus nemo causa sive periculi sive mortis aggressorum aut fugientium est, dum puer est causa unica mortis matris; si ergo licet ad propriam servandam vitam iis sese expedire, multo magis licebit matri sese infante suo expedire, ne certae morti succumbat.

Quartum argumentum ex eo petunt, quod liceat salutis suae tuendae causa alterum occidere; infantem autem in utero matris clausum, esse in casu maternae vitae aggressorem materialem; hunc autem licite occidi posse communis est doctorum sententia.

La Croix lib. III. p. 1. n. 814 ita loquitur: « Si aggressor sit ra» tionis impos, v. g. ebrius et si» mul in mortali, Pont. apud Dian. » dicit me ex charitate teneri ad» mittere mortem, si credam me » in gratia Dei esse. Lugo et Gobat » dicunt me tunc teneri, si mora» liter certus sum me esse in gra» tia, et ipsum esse in mortali, » negant autem si de alterutro non » sit certitudo. Addit Gob. cum » Less. et Tann. posse occidi ta» lem aggressorem, quamvis ab eo » non timeatur mors, sed solum e» normis mutilatio, quia haec inter » gravissima mala numeratur .... » si dicas, impotem rationis non » esse iniustum aggressorem, cum » non peccat, respondeo: per in» iustum aggressorem hic intelligi » eum, qui ex parte causae est in» iustus, quia scilicet me sine iusta » causa vult occidere, quamvis non » sit iniustus ex parte sua.

» Quod si te invadens esset » phreneticus, adhuc non teneris » permittere te occidi, licet pro » tuenda vita tua, deberes eum » occidere, quia non debes reputare » eum esse in peccato; in quo si est, » nescis an sit rediturus ad ratio- » nem et poenitentiam. » (1)

Item vero docent Tamburini, Bonacina, Lessius aliique.

Ex iis autem concludunt liceitatis craniotomiae defensores, licitum omnino esse occidere aggressorem materialiter tantum iniustum.

At infantem in utero matris clausum in casu esse aggressorem materialiter iniustum demonstrant primo ex Tertulliano, qui *in lib. de anima, n. 25* scribit: *At quin et in ipso adhuc utero infans trucidatur necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida ni moriturus.* (2) At nemo matricida est, nisi matris quomodo cumque aggressor. Deinde demonstrant plurimorum et gravissimorum theologorum testimonio, qui legi possunt apud Viscosi *op. cit. pag. 88 seqq.* Nos unum aut alterum excribimus;

Mazzotta *Tract. IV, Disp. II, q. III, n. 1548.* inquit « Si mors » matris immineret ab intrinseco » tum si ab ipso foetu opprimente, » potest mater sumere pharmacum » etiam directe causativum abor- » tus, modo foetus nondum sit ani- » matus, quia sic se habet ut in- » iustus aggressor, nec aliter, ut » suppono, mors declinari potest. »

Lessius *lib. II, cap. IX, dub. X, n. 60.*

« Quidam Doctores sentire vi- » dentur licitum esse dare phar- » macum ad faciendum abortum, » si foetus nondum sit animatus, » quando id necessarium putatur » ad curationem matris periclitan- » tis, secus vero si sit animatus... » Ratio est, quia in hoc casu foetus » est aggressor, nam velut invadit » matrem, dum eius saluti pericu- » lum creat, sicuti pravi humores » invadunt naturam. Ergo simili » ratione pelli potest, cum nihil » incommodi maioris momenti ex » eo sequatur. Melius est enim de- » pelli partum nondum animatum, » quam extingui matrem. Secus » est cum proles est animata; tunc » enim esset directum homicidium » innocentis. Confirma. Quia ob sa- » lutem totius licitum est abscin- » dere partem. Atqui foetus est » pars ventris. »

Tandem aggressionis sententiam tuentur Layman, Viva, Diana, Salmanticenses, La Croix, aliiqui, quos citat s. Alphonsus in sequenti testimonio. *Lib. III, n. 394.*

« Certum est apud omnes, li- » citum esse praebere remedium » praegnanti directe ad eam cu-

(1) Loc. cit. lib. II. n. 178.

(2) Migne Patrol. Lat. Tom. II, col. 734; affertur autem hoc testimonium ab omnibus sive defensoribus sive craniotomiae impugnatoribus.

» randam, etiam cum periculo a- » bortus, si morbus est mortalis; » secus si non esset talis, ut recte » advertit Tournely. Dubium fit an » tunc liceat dare ei pharmacum » directe ad foetum expellendum? » Prima sententia affirmat, eamque » tenent gravissimi auctores San- » chex, Layman cum Sylv. Navar. etc. » Item Petrocorens. Viva, Mazzot- » ta, Habert et alii. Ratio tum » quia cum foetus ille sit pars vi- » scerum, non tenetur mater eum » servare cum tanto vitae suae di- » scrimine; tum quia mater eo » casu potest illum expellere tan- » quam suae vitae aggressorem; et » licet foetus non sit aggressor vo- » luntarius, non tenetur mater ne- » gligere suam vitam praesentem » ad servandam vitam futuram » prolis; maxime quia pereunte » matre foetus minime animabitur. » Huic sententiae favet D. Antoni- » nus etc. »

Ex his vero apparet auctores adesse, quorum alii affirmant licitum esse foetum inanimem expellere *directa etiam intentione*, cum nullum ad salvandam matrem remedium aliud suppedit, alii vero id licitum affirmant intentione tantum indirecta; directae vero aut indirectae expulsionis ratio est quia foetus est in casu maternae vitae aggressor.

At si foetus inanimis est maternae vitae aggressor, multo magis foetus animatus; quod nec ab adversariis in dubium revocatur, aut revocari potest. Satis sit ea excribere quae, proferunt Salmanticenses *Tract. XIII, de Rest. Cap. II. p. 4. n. 60.* « Sed hae rationes » (illae scilicet quibus defenditur » licitum esse expellere directe » foetum inanimem) etiam probant » licere potionem sumere directe » tendentem ad expellendum puer- » perium iam animatum, quod nemo » admittet; quia tum etiam foetus » invadit, et fortius cum sit robu- » stior, et plus alimenti absumat, » magisque naturam offendat.

De Lugo autem *De iust. et iur. Disp. X, Sect. V. n. 130.* « Etiam » in posterioribus casibus foetus » est aggressor, cum conatu, quo » prodire tentabit ex utero, mater » in mortis periculum manifestum » sit adducenda. Adde, si hoc li- » citum redditur ratione invasionis, » qua mater a foetu invaditur, » liceret etiam eius abortum pro- » curare post animatum foetum; » cum non minus possit innocens » se quacumque via defendere ab » invasore animato quam inani- » mato. »

Ex quibus liceitatis craniotomiae defensores concludunt, (et quidem logice) licitum esse expellere, vel occidere directa intentione etiam foetum animatum. Utique citati Doctores quamvis admittant etiam foetum animatum aggressorem esse, tamen negant eum directe expelli posse; atque hinc eorum auctoritas nocere potius, quam prodesse craniotomiae defensoribus videtur.

At hi eiusmodi difficultate se expediunt affirmando, ideo citatos doctores eiusmodi edidisse sententiam, quia puer sine baptismate moriturus fuisset; quod auctoritate tum Mazzotta, tum viva, tum aliorum probant.

Primus enim dicit *Tract. IV, Disp. II. Quaest. III, n. 1548:* « Si » vero foetus sit animatus, non » licet procurare abortum, quia » debet praevalere bonum spiri» tuale illius nondum baptizati. »

Alius vero *Prop. 34.* « Quoad » foetum vero animatum est aliqua » dispar ratio, cum enim ex defe» ctu baptismi, huiusmodi foetus » passurus sit aeternam mortem » si occidatur; idcirco numquam » licet directe expellere, etiamsi » ille invasor sit vitae parentis, » sed solum licitum est pharmaco » aliquo directe procurare vitam » et salutem parentis, etiamsi prae» videatur abortus secuturus; quia » praestat vitam matris tueri cum » abortu permisso et non intento, » quam expectare utriusque mor» tem. »

Cum autem per operationem craniotomicam prius baptizetur infans, eiusmodi ratio cessat; et consequenter etiam foetus animatus cum sit magis aggressor quam inanimatus potest directe expelli et occidi.

Ad id vero quod adversarii subsumunt, citatos auctores directam occisionem infantis repudiare nedum ratione baptismatis, sed etiam quod *id esset hominem innocentem per se et directe occidere*, (1) respondent, vel id falsum esse, cum occisio infantis in operatione embriotomiae eodem modo se habeat ac occisio pueri, occisio aggressoris, occisio innocentium in oppido obsidione cincto conclusorum, prout superius dictum est, qui materialiter quidem directe occiduntur, sed secundum intentionem et finem indirecte: vel etiam licitum esse directe occidere propriae vitae aggressorem; quod probant auctoritate Dianae, Tamburini, Bonacinae, aliorumque.

Primus enim scribit: « Docet » Caietanus sic occidenti non licere » intendere mortem eius, ut me» dium necessarium ad sui defen» sionem... Sed hae sententiae ni» mis metaphysicae solum inser» viunt ad turbandam doctrinam » moralem, gignendam conscien-

(1) Hos inter Bonacina *loc. cit. Punct. VII. n. 3:* « Intendere vel procurare » abortum ob sanitatem matris est contra naturam generationis. . . Et haec ratio » multo magis ostendit non esse licitum dare pharmacum post animationem foetus » alioquin directe occidi videretur innocens ad servandum alterum, quod non est » licitum. »

Sanchez autem *N. 60,* postquam dixerit; « Melius est depellere partum non» dum animatum, quam extingui matrem, subdit: secus est, cum proles est ani» mata; tunc enim esset directum homicidium innocentis. » *Apud Viscosi Op. cit. pag. 107.*

» tiam erroneam, et scrupulos non » necessarios ei qui potest licite » se defendere. Ideo dico cum Mo- » lina, posse aggressum per se in- » tendere mortem aggressoris, pe- » tendo ictu cor, aut iugulum, » animo eum necandi, quando vi- » det in necessarium esse ad eva- » dendas manus illius. Et haec est » doctrina communis. »

Tamburinius autem: « Ut vitam » meam defendam, non vero ut » vindictam sumam, communis est » doctrina, posse a me occidi eum » qui me iniuste aggreditur, etiam » intendendo eius mortem ut me- » dium meae vitae. Sic Hurtadus, » Dicastillus etc. »

Demum Bonacina: « Quaeres » utrum liceat intendere mortem » adversarii, tanquam finem, vel » medium ad defendendam vitam » propriam? »

Resp. « Duplicem esse senten- » tiam. Prima est S. Thomae, Ban- » nez et Salonii, et aliorum dicen- » tium non posse licite mortem » intendi. Secunda sententia, quae » mihi magis probatur, affirmat li- » cite intendi posse (1). »

Eiusmodi vero doctrinam non opponi S. Thomae sententiae, qui 2. 2. q. 64, art. 7. c. scribit: « Nec » est necessarium ad salutem ut » homo actum moderatae tutelae » praetermittat; quia plus tenetur » homo vitae suae providere, quam » vitae alienae. » At manifestum est aliquando homini aggresso nullam aliam ad se servandum viam suppetere nisi adversarii occisionem; quo in casu directa intentione vult propriae vitae incolumitati providere, indirecte adversarii mortem intendit; unico autem actu duplicem hunc finem perficit. At hoc ipsum in occisione infantis contingere manifestum est; unico enim actu, infans occiditur, ut matris saluti consulatur; hinc infantis occisionem directam esse si medium inspiciatur quo perficitur; indirectam, si intentio qua perficitur consideretur.

Quintum argumentum desumunt ex analogia, et quoad nonnulla, ex identitate abortus medici, quem licitum theologi proclamant, cum embriotomia.

Abortus medicus est partus acceleratio ea de causa facta quod praevideatur mulier non posse ad statutum tempus seu ad maturitatem foetum perducere.

Quoniam vero craniotomiae adversarii referunt casum quemdam productum a cl. Gury in suo Op. *Casus conscientiae Tom. I.* ideo et nos illum cum adnexa solutione referimus.

CASUS.

« Pelagia mulier a quatuor vel » quinque mensibus praegnans in » summo vitae periculo constitui-

(1) Apud Viscosi *loc. cit. pag. 109.*

» tur, et videtur iam iam animam » efflatura. Praeter medicum ordi- » narium tres alii advocantur con- » silii capessendi causa. Re sedulo » perpensa sic unanimiter resol- » vunt: si ope artis medicalis pro- » curetur eiectio foetus, hic qui- » dem peribit, sed probabiliter po- » terit baptizari antequam extin- » guatur, et mater certo mortis » periculo eripietur. E contrario » nisi ita fiat, actum est tum de » matre, tum de prole, et haec » baptismi beneficio carebit. His » statutis concludunt ad abortum » procurandum. Eventus praevisio- » nem medicorum probavit; proles » enim eiecta et baptizata illico ex- » tincta est, et Pelagia salva e tanto » periculo evasit.

» Hinc quaeres: Quid iuris? Seu » an stante casu ut iacet, abortus » procurari potuerit?

SOLUTIO

» Negant plerique veteres theo- » logi, qui abortum indistincte con- » siderare consueverunt tanquam » directam prolis occisionem. At- » tamen affirmandum videtur cum » recentioribus Doctoribus in casu » ubi mera habetur partus accele- » ratio. Tunc enim non intervenit » directa occisio foetus, qui tan- » tum amovetur a loco, in quo » vivere non potest, et statuitur » in alio loco, in quo magis vitam » producere nequit; et proinde in » peiori conditione minime consti- » tuitur, atque aliunde beneficio » baptismi donari potest. Tunc igi- » tur mater iusta de causa mere » cessat a vita prolis custodienda. » Etenim ut scite observat Lugo » *De iust. et iur. Disp. X. n. 133.* » mater non tenetur cum tanto » vitae suae periculo et detrimento » foetum conservare, sicut nec na- » tum iam filium tenetur cum vitae » discrimine alere ac retinere. Pla- » cet tamen moderatio, quam huic » doctrinae postea addidit Vasquez, » nempe hoc intelligendum esse » de sanguinis missione, de balneis, » et huiusmodi remediis, quae non » tendunt ad foetus occisionem; » non vero de remediis, quae po- » sitive ad eius mortem concurre- » rent. »

Porro craniotomistae abortum medicum in superiori definitione expositum repudiant, atque insistunt in abortu medico in casu Pelagiae et adnexa solutione recensito.

Atque dicunt: a) Sicut in embriotomia, ita et in abortu medico procuratur mors foetus ut mater servetur; *foetus peribit, et mater certo mortis periculo eripietur.* b) Etiam in abortu medico medicinae *sunt per se ordinatae* ad foetus expulsionem, ex qua expulsione necessario sequitur mors, cum foetus quatuor vel quinque mensium tantum in utero matris vivere possit. c) Nihil obstare quod foetus ex utero matris eiectus naturaliter moriatur, ut adversarii dicunt; nam

moritur certe eo quod eiectus ex utero fuerit. Et d) quod gravius est, non naturaliter, cum et eiectus sit *arte medicali*, et contra naturalem ordinem, qui requirit novem gestationis menses; qua de causa et in abortu medico foetus, diverso utique medio, occiditur. Si ergo hunc licitum theologi propugnant, etiam craniotomiam licitam asserere debent.

Sextum argumentum ex eo petunt quod craniotomia iniuriam foetus iuribus non irroget. Hic enim necessario mori debet, nullamque prorsus vivendi spem habet, quin imo brevi moriturus est. Operatio ergo craniotomica illum ad eum terminum adducit ad quem brevi necessario perveniet; idque non simpliciter, sed ut matris vita servetur. Quae ergo iniuria foetus iuribus infertur? Num ne quia privatur paucis vitae horis? Sed negligi potest parva illa vitae iactura ut matris vitae consulatur; quae de cetero vita inutilis prorsus est in se, et matri damnosa.

Haec ex cl. Daniele Viscosi desumpismus, qui in reliquis libri sui partibus totus est in refutandis rationibus contra craniotomiam adductis a cl. Escbach.

Verum Stephanus Apicella *in cit. Opusc.* iis postpositis rationibus quae a cl. Avanzini adductae fuerant, liceitatem craniotomiae ex alio capite probare nititur, quod in iurium collisione reponitur.

Septimum argumentum: Porro *collisio est conflictus duorum iurium circa eamdem materiam, quae satisfacere ambobus nequeat;* vel *coincidentia plurium iurium, quae simul exerceri nequeant.* Hinc ad habendam veram collisionem necessarium est ut in eadem materia, et in eodem subiecto iura versentur, sit insuper impossibile ut simultanee exerceri possint; in vera enim collisione, si ius unum actionem suam exercet, aliorum actiones vel suspendi, vel cessare omnino debent.

Hinc sequitur, in vera collisione non omnia vera esse iura, sed nonnulla apparenter tantum vera esse, sive ex toto sive ex parte; cum enim in natura omnia ordinata sint, verum ius vero iuri opponi non potest, sicut veritas veritati numquam opponitur. In vera quapropter collisione ius aliquod aut non existere, aut alii subordinatum esse dicendum est.

Consequenter in collisione vincere debet ius fortius et evidentius cui necessario cetera iura subordinata sunt, non absolute tamen, sed tantum quantum ius evidentius actionem suam exercere valeat.

Vis autem iuris dimanat ex obiecto in quod ius exercetur, ex ordine ad quem pertinet, ex titulis a quibus exurgit.

Haec omnia vero concluduntur in theoremate, quod P. Liberatore proponit in *Iuris nat. elementa — Ius ind. lib. 1. c. 1. art. 1.* sci-

licet: *Quod magis cum eo* (naturae ordine) *connectitur, in ipsaque altiorem locum occupat, praestabilius atque efficacius profecto erit, ac proinde in collisione superabit;* quam sententiam cl. Vecchiotti *Inst. Can.* (1. c. II. §. 15) ita exponit: « Tandem praeter dispensa-
» tionem mox explicatam, lex na-
» turalis in ipsis secundariis prin-
» cipiis simplicem quamdam reci-
» pit interpretationem, quae locum
» habet, ubi in peculiaribus casi-
» bus iura inter se invicem pugnare
» videntur, non quod ullam pu-
» gnam seu collisionem aut con-
» flictum, ut vocant, iurium, reapse
» admiserim, sed quia urgente
» potiori iure, ius aliud silere re-
» cte interpretamur. Ita potiori
» iure homo tenetur servare pa-
» triam, quam depositum reddere
» petenti. Hinc non tenetur in hac
» circumstantia depositum reddere
» contra patriam. Ad dignoscen-
» dam autem praeceptorum potio-
» ritatem haec ferme regula prae
» oculis habenda est, scilicet prae-
» cepta quae respiciunt Deum po-
» tiora esse iis quae respiciunt nos-
» metipsos, haec vero potiora esse
» iis quae respiciunt alios homines,
» ita tamen ut bonum publicum
» iugiter privato anteponatur. »

Atqui in casu de quo agimus, quoad ius quod tum mater tum foetus habent ad vitam adest vera collisio; etenim identicum est obiectum iuris, quod est vita; uterque igitur ius habet ad vivendum toto eo tempore quod utrique natura concedit. Sed vita matris in periculum vocatur ob vitam filii, et viceversa; ergo inter ius matris, et ius filii ad vivendum adest vera collisio. Quid ergo agendum? Utrumque perire sinemus, aut alterutrum salvabimus?

At profecto praevalet ius matris, quia profluit ex ordine universaliori, cum eius ius connectatur cum ordine domestico, sociali, religioso et morali; quod de filii iure dici non potest, tum quia nondum prodivit in lucem, tum quia prodire non potest, atque vivere. Cum ergo ius matris possideat, alio iure exturbari nequit, quod superveniat.

Licitum igitur erit foetum interimere, ne ius matris pessumdetur. Foetus autem interimitur potestate publica, quae medicos craniotomiam exercentes numquam punivit, neque huiusmodi operationem prohibuit. Ecclesia autem nullam in re sententiam tulit.

Clarissimus Avanzini qui utrumque praecessit, morte praeventus ad finem perducere non potuit quaestiones omnes quas circa craniatomiae liceitatem animo conceperat. Attamen haec scripta reliquit. *Acta S. Sedis Tom. VII. pag. 286.* « Ad instar fundamenti
» in hac quaestione ponendum est,
» quod Craniotomia non adhibita,
» certum sit infantem pariter pe-
» rire; ita ut in hoc consistat di-
» scrimen, quod omissa Craniotomia

» ambo pereant tum mater tum in-
» fans; eo remedio adhibito, infans in
» eadem conditione manet, id est
» moritur, sola diversitate medii
» seu modi quo moritur, mater
» servatur. Porro hoc erat consi-
» derandum, quod nemo auctorum
» consideravit, quaestionem collo-
» cantes in falsa positione. Ipsi
» enim in eiusmodi quaestione
» semper considerarunt in infante
» ius vitae, quod facto perdidit,
» atque haud animadverterunt uni-
» cum ius, quod infanti superfuit,
» esse illud eligendi modum mo-
» riendi. Hinc verus quaestionis
» status non ille est, quem auctores
» supposuerunt, sed e converso
» hic est: *an infans cum necessa-*
» *rio mori debeat, ius habeat eli-*
» *gendi medium, quod cum ipso*
» *simul matrem perimat, alio me-*
» *dio omisso, quod, dum peiorem*
» *conditionem suam non facit in*
» *qua est (cum tandem mori de-*
» *beat) matrem incolumem reddit.*

» Porro, ita constituta quae-
» stione, puto non solum clarum
» esse, sed etiam evidens, neminem
» posse sibi vindicare eiusmodi ele-
» ctionis ius cum damno vitae alie-
» nae, multoque minus cum damno
» vitae matris. Namque quodnam
» tandem est bonum illud uno po-
» tius, quam alio modo moriendi,
» quod comparari possit cum vita
» alterius, et quod magis est, cum
» vita matris? Idem enim esset ac
» in comparatione ponere irratio-
» nabile arbitrium (quod utpote
» irrationabile nullum creare po-
» test ius) cum supremo bono, ac
» iure temporali hominis, atque
» adeo propriae matris! »

Quaestionis decursu videbimus quid huic Avanzini argumento adversarii respondeant.

Ceteri qui pro craniotomia scripsere argumentis usi sunt quae breviter notavimus; (1) his igitur finem damus eo vel magis quod ex illis criterium aliquod de quae-

(1) Ex iis argumentis quae retulimus lectores facillime indicabunt quanta veritate Alexander Ciolli in *suo Direttorio prattico pag. 517* scripserit: « Me
» quidem non latet, nonnullos vel potius aliquos extare theologos modernos, qui
» *speciosis quibusdam medicorum effatibus ducti* conati sunt, recta quidem in-
» tentione, non pari vero, nisi quid me fallit, ponderatione, embryotomiam prorsus
» licitam esse, et omni foeditate homicidii expertem demonstrare, sed citra dubi-
» tationem oleum et operam perdiderunt. »

In nota vero subiecta postquam recensuerit Avanzinium, Stephanum Apicella, et Danielem Viscosi, subdit: « Contra Apicella opusculum, brevem quidem sed valde urgentem evulgavit confutationem cl. P. Alphonsus Eschbach Rector Seminarii gallici Romae, et cui titulus italice *L'Embriotomia sotto il punto di vista teologico e morale.* Ni fallor, paucis comminuit *cavillationes a medicis excogitatas,* et aliquorum theologorum *subtilitates exageratas* pro embryotomia, quae demum huc redit. *Interficite filium, dummodo vita matris salvetur.* » At pace cl. auctoris 1. allata hucusque argumenta sunt *speciosa medicorum*

stionis statu et veritate lectores nostri sibi efformare poterunt.

Videamus hinc quid craniotomiae impugnatores probatis argumentis respondeant. Responsiones vero desumemus praecipue ex *cit. Op.* P. Alphonsi Eschbach *Edit. 1880;* at nullo modo posthabebimus aliorum observationes et ratiocinia.

Praetermisso argumento quod deducunt ex craniotomiae usu, quem repetunt ex materialismi vel utilitarismi placitis, primum argumentum theologicum desumunt ex consensu Doctorum, qui illicitam et graviter culpabilem proclamant foetus animati occisionem.

Sporer *Theolog. Sacram. p. 4. c. III. n. 710.* ita loquitur: « Sine » dubio intrinsece malum et mor» tale est directe procurare abor» tum foetus animati; est enim ve» rum homicidium.... Certissimum » quoque apud omnes, id nullo » umquam casu vel causa licere: » sive constet iam animatum esse » foetum, sive dubitetur, an de » facto animatus sit: sive deinde » abortus intendatur propter se, » ut finem, sive solum intendatur » ut medium propter alium finem, » v. g. ad conservandam vitam » matris....Dummodo media per se » tendant ad causandum abortum, » neque aliter conducant ad vitam » matris conservandam, nisi quan» tum causant abortum. »

Huic subscribit Sanchez dum scribit: « sunt medicinae quaedam » *directe ad foetus occisionem ten*» *dentes,* ut venenum, *dilaceratio,* » percussio: aliae autem per se et » directe ad morbos pravosque hu» mores expellendos, pristinamque » salutem restituendam ordinatae, » ut venarum ruptio, balnea. Prio» ris ergo generis medicinas su» mere *nefas capitale est, quia coo*» *perantur directe innocentis neci,* » *quod intrinsece malum est.* (1) » Posterioribus autem medicinis uti

effata? et *cavillationes a medicis excogitatae?* Quid commune habent cum medicorum aphorismis? 2. Nimis fidenter, ni tamen opinio nos fallit, allata argumenta vocavit *exageratas subtilitates.* 3. Et quidem *aliquorum theologorum,* quos inter honoris gratia nominamus clarissimos Antonium Ballerini, et D'Annibali, qui nostra aetate in scientia Theologiae moralis sunt facile principes; Petrum Avanzini in iure canonico et scientiis moralibus peritissimum. Nihil dicimus de Gabriele de Varceno, cui certe inter praestantes Theologiae Moralis Tractatores locus tribuendus est. His autem, ut alios praetermittamus recentissimos et bonos, ipsumque Viscosi in praesenti quaestione enucleanda facile principem, opponi ne possunt, saltem nomine, illi qui contra craniotomiae liceitatem scripserunt? Quod vero theologi adeo praestantes indulserint, vel decipi se permiserint *subtilitatibus exageratis* quas *paucis comminuit* cl. Eschbach, ipsi Ciolli considerandum dimittimus. Nos legimus utriusque sententiae defensores, atque (ut ignorantiam nostram sincere confiteamur) eiusmodi comminutionem non perspeximus.

(1) Eiusmodi verba, quae etiam ab aliis theologis adducuntur, relationem habent

» licitum est praegnanti, etiam cum » probabili abortus periculo, ubi o- » mnino ad eius salutem desideratur.

His autem cl. Eschbach adiungit Salmanticensium et Dianae auctoritatem. *Opusc. cit. pag. 19. 20.*

Ex his vero concludit eruditissimus auctor, nullum fuisse theologum ante Petrum Avanzini qui licitum esse affirmaverit matris saluti subvenire foetus occisione; qua de causa contrariam sententiam discordare ab unanimi, vel fere unanimi Theologorum in re iudicio, consequenter peccare contra effatum celeberrimi Melchioris Cani: *Concordem omnium Theologorum scholae de fide aut moribus sententiam contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est. lib. VIII. c. 4.*

Theologorum auctoritas est unicum fere argumentum, quod affert cl. Eschbach, cum in reliquis totus in eo sit ut allata ab Avanzinio, Viscosi, et Apicella argumenta refutet. Nos adductas ab eo responsiones sincere referemus. Interea argumento petito ex auctoritate Theologorum respondet Viscosi, *Op. cit. pag. 257 et seq.* 1° id magni non esse faciendum, cum sententiae vel opinionis alicuius veritas non tam auctorum numero quam rationum, quas adducunt, pondere sit dimetienda, ipse Melchiore Cano affirmante *lib. VIII. cap. 4.* « In scholastica disputa- » tione plurium auctoritas obruere » theologum non debet; sed si pau- » cos viros modo graves secum » habeat, poterit sane adversus plu- » rimos stare. Non enim numero » haec dijudicantur, sed pondere.» Cano vero subscribunt Cardinalis Sfondrati, Stoz. La Croix, S. Alphonsus, aliique, quorum primus haec praeclara habet et vera: « Sunt » opiniones instar monetae, cuius » valor non ex numero, sed pon- » dere et metallo aestimantur. Sic » opiniones non doctorum numerus, » sed maior ratio, veritas, et pru- » dentia commendat. »

ad sacrae scripturae textum. *Insontem et iustum non occides.* Ex. XXIII. 7. At, ni fallimur, in praesenti quaestione de abortu adduci rationabiliter non potest. Deus enim *loc. cit.* monet iudices ne innocentem et iustum occidant; eum scilicet qui de crimine accusatus ad publicum iudiciale tribunal defertur. Loquitur ergo Dominus de homine in societate constituto in quem iudicium et poena ferri potest, non vero de foetu in utero matris clauso. Haec per se et ex contextu. Interpretes autem ita exponunt cit. textum. *Insontem et iustum non occides.* « Hinc recte » colligunt doctiores theologi, iudicem non posse occidere eum quem scit esse in- » nocentem, qui tamen in iudicio per falsos testes probatur esse nocens. Alii ta- » men contrarium docent, atque sic exponunt: *Non occides innocentem et iu-* » *stum*, qui scilicet in foro tuo est iustus; quia iuridice probatur esse innocens, » vel saltem non probatur esse nocens: quibus Chald. favet dum vertit: *et eum* » *qui fuerit iustificatus et exierit iustus a iudicio, non occides.* » A Lapide in hunc locum. Citatus ergo textus non potest ad occisionem foetus applicari.

2. Auctores insuper docent pluris fieri posse unius gravissimi auctoris iudicium quam plurium: « Admitti potest, scribit Viva, ut » probabilis non solum plurium, » sed etiam unius auctoris opinio » etiamsi adversum communem alio» rum sentiat, quoties auctor est » omni exceptione maior. Ita con» tigit in opinionibus, quas D. Tho» mas primus omnium adversus » communem antiquorum docuit. » Vasquez, Azorius, et alii apud » Tambur. docent, ad probabilita» tem extrinsecam non requiri Do» ctorum multitudinem, sed suffi» cere unum contra innumeros, » dummodo sit doctus, ac pius, et » rem tractaverit ex professo, fir» mamque rationem pro se habeat, » nec appareat contra ipsum ali» quid convincens. »

Idipsum vero decernunt Ferraris, La Croix, Ligorius aliique quos hic postremus citat.

3. « Si quaeras, inquit Bona» cina, quaenam dicatur opinio » communis, respondeo, non illam » dici, quam simpliciter plures ha» bent auctores, qui quod a prio» ribus traditum est sequuntur, nulla » discussione praemissa, instar a» vium et ovium, quae alias sequi » consueverunt; sed illam censeo » dici communem opinionem, quae » plures habet auctores classicos » qui rite perpensis utriusque par» tis rationibus eam opinionem se» quuntur. » *Apud Viscosi pag. 267.*

Atqui, ut argumentatur Viscosi, auctores qui contra craniotomiae liceitatem adducuntur unus alium excripsisse videtur.

Sporer scribit: « Intrinsece » malum et mortale est directe » procurare abortum foetus animati: » est enim verum homicidium. »

Sanchez: « Prioris ergo generis » medicinas sumere nefas capitale » est, quia cooperantur directe » innocentis neci, quod intrinsece » malum est. »

Layman: « Sin autem foetus ani» matus existimetur, tunc aliter di» stinguendum cum Sanchez. » etc.

Lessius: « Secus cum proles es» set animata; tunc enim esset di» rectum homicidium innocentis. »

Bonacina demum: « Non esse » licitum dare pharmacum post a» nimationem foetus, alioquin di» recte occidi videretur innocens. »

At hi auctores unum idemque sonant; quamvis exinde concludi non possit allatam rationem apprime non considerasse. (1)

(1) Existimamus insuper observari posse, citatos auctores sententiam utique asseruisse, non autem probasse. *Procurare abortum foetus animati est verum homicidium; est directum homicidium innocentis.* Imprimis: adeo relata sententia est absoluta, ut nullam videatur admittere exceptionem? et absolute est ne semper vera? 2. Ni intrinseca evidentia eam patere dicant, probare debuissent procurationem abortus foetus animati esse *semper* verum homicidium. Haec enim est quaestio. At potest ne tuto affirmari sententiam illam universaliter sumptam intrinseca evidentia fulgere?

4. Craniotomistae negant occisionem infantis esse directam, quantum ad finem attinet, cum occidatur ob finem salvandi matrem; dato quod sit directa, eodem modo se habere ac superius exposita exempla.

5. Non deesse insuper Doctores gravissimos qui affirment, licere directe occidere propriae vitae aggressorem : at in eiusmodi sensu reponendum esse infantem in casu non spernendae rationes suadent.

Exinde colligitur, consensum illum theologorum vel non esse unanimem, vel non adeo solidum; ideoque ex eo illam non colligi auctoritatem quae necessaria esset ad extorquendum sive contradicentium sive aliorum consensum; multoque minus inducere applicationem citatae Melchioris Cani sententiae; quam de cetero plurimis adductis rationibus in praesenti quaestione non habere locum tum Avanzini *(Acta S. Sedis Tom. VII. pag. 517)* tum Viscosi *Op. cit. pag. 243. seqq.* sapienter demonstrant.

Diximus petitum ex antiquis Theologis, esse unicum fere argumentum ab cl. Alphonso Eschbach adductum, cum in reliquis totus sit in refutandis adversariis; attamen cum auctoritatem pro sententia petat etiam ex iudicio quod Academia Moralis Romana protulit die 24 Aprilis anni 1876 circa craniotomiam, ideo tum casum tum resolutionem non abs re erit afferre. Porro Casus refertur ab Eschbach *pag. 57.*

« Titius peritissimus in arte Chi-
» rurgus omnem industriam adhibet
» ut Maevia infelici partu laboranti
» opem ferat. At omnes conatus
» in irritum cadunt; hinc adhibito
» sociorum consilio, matrem filium-
» que brevi morituros proclamat.
» Una tantum, ait, est via servandi
» matrem, si per operationem, quae
» dicitur *craniotripsia,* infans ex-
» trahatur. At nonnulli ex familia
» Maeviae ob vitam, ne dicam cor-
» poralem, sed spiritualem pueri,
» id fieri recusant. Quibus Titius
» se antea illum baptizari posse de-
» clarat, aquam ita iniiciendo, ut
» eius corpus certo tangat. Hinc
» contradictio levior evadit. Interea
» tamen hanc quaestionem aegrota
» mulier animadvertit, et dubitans
» de eo quod sibi agendum sit,
» parochum ad se advocat.

» Hic re audita suspensus haeret,
» et praevidens, aegrotae eiusque

3. Si ad craniotomiam excludendam pertrahatur, ut adversarii pertrahunt, eiusmodi evidentia intrinseca certo caret; alioquin (de quo tamen infra) S. Poenitentiaria non respondisset: *Consulat probatos auctores.* Quod enim per se evidens est, idem apud omnes est, et categoricum responsum dedisset.

4. Sub praecepto Exod. XXIII, 7. *Insontem et iustum non occides* occisio foetus animati non comprehenditur, ut supra diximus; an autem comprehendatur *directe* sub praecepto *Non occides* inferius videbimus.

» consanguineis, qui eius mortis me- » tu chirurgis favere videntur, sen- » tentiam suam non facile acceptam » iri, in suo iudicio proferendo » moras trahit, sed interim ob pe- » riculum quod est in mora, Titius » ad operationem propositam, Mae- » via non obstante, manus admo- » vet, hinc Parochus servato si- » lentio discedit. Domum reversus » rem alteri Parocho enarrat, et cum » eo quaerit

1° *An sententia quae occidere infantem licere docet ad servandam matrem, quando ambo sint perituri, sustineri possit?*

2° *An semper, quod certo tenendum est declarari debeat?*

3° *Quid de sua agendi ratione in casu?*

Iuvenis ad solutionem propositi casus deputatus respondit:

Ad 1. Sustineri non potest opinio quae permittit infantis occisionem, matris servandae causa, quamvis certum sit utrumque esse periturum. Esset haec occisio directa, quam prohibet divinum praeceptum *Non occides.* Insuper *non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Iure merito igitur huic casui applicatur sententia S. Ambrosii: *Si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est nullum iuvare* (1).

Tribus profecto argumentis in primo quaesitu craniotomiae liceitas excluditur: 1. quod sit occisio directa, sub quinto Decalogi praecepto consequenter conclusa; 2. in ea peragenda fieret malum ut eveniret bonum, contra tritum adagium: *non sunt facienda mala ut eveniant bona;* 3. auctoritate S. Ambrosii dicentis: *Si non potest alteri subveniri, nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari, quam gravari alterum.* De Officiis ministrorum lib. III. Cap. IX. n. 50.

Expendamus utrum, et quo sensu haec vera sint.

Et quoad directam occisionem: cl. Viscosi, cuius argumenta supra exposuimus, affirmavit occisionem foetus esse directam ratione actionis tantummodo, non autem ratione finis, cum finis occisionis foetus sit salus matris; quoad finem igitur occisionem hanc non esse directam.

Hinc quaestio exoritur, an occisio foetus, quae relate ad finem directa non est, atque gravissimae causae subsunt ad illam peragendam, scilicet ad salvandam vitam matris, cuius interitus foetus est unica causa, possit et sit illicita. Si illicita; ergo erit illicita occisio pueri vel claudi qui a fugiente hostem in an-

(1) Non potrebbe sostenersi l'opinione che permette di uccidere il bambino per salvare la madre, ancorchè fosse certo che l'uno e l'altra andrebbero a perire. Sarebbe questa una occisione diretta, vietata dal comando del Signore: *Non occides.* Inoltre: *non sunt facienda mala ut eveniant bona.* A buon diritto dunque si applica al presente caso la sentenza di S. Ambrogio: *Si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est nullum iuvare.*

gusta via conteritur; occisio innocentium urbe obsessa conclusorum, occisio innocentis, quo veluti clypeo utitur iniustus aggressor. Horum enim occisio relate ad materialem actionem est directa, indirecta tantummodo quantum ad finem attinet, cum hic sit vel propriam salvare vitam, vel urbe obsessa potiri. Ratio igitur prolata, *occisio directa est semper homicidium* absolute spectata est falsa, et nimis probat; concludit enim sub homicidii crimine occisiones quae homicidia non sunt. At si absolute spectata adducta ratio falsa est, vera erit contradictoria. *Aliquando occisio directa materialiter tantum, indirecta secundum finem non est homicidium.* At in craniotomica operatione foetus occiditur ad salvandam matrem ut huius vita servetur, quam in certum periculum mortis foetus ipse inducit: ergo etiam haec occisio homicidii crimine excusari poterit.

Utique dicturus erit, in allegatis exemplis extrinsecas rationes intercedere, quibus veluti homicidia non sint habenda. At haec nullas ei suppetias ferent, quandoquidem et nullus craniotomista negavit, factum aliquod ut homicidii crimine eximatur, cum causa aliqua iusta et rationabili poni debere, et foetus occisionem affirmant craniotomistae in casu ex causa poni. Hinc allatas a craniomistis rationes iuvenis praestantissimus expendit et diluit, vel non? si expendit et diluit, ubi sunt argumenta? Ni expendit atque diluit; cui criterio innixus affirmare potuit occisionem foetus homicidium esse? Homicidium enim, iuxta S. Thomam, importat occisionem hominis indebitam (1). Ergo ut foetus huiusmodi occisio veluti homicidium traduceretur, probare prius oportebat, eam indebitam esse. Quibus autem argumentis id probavit? Nos equidem nescimus; atque donec ea non manifestentur, putamus, iure nobis licitum esse inferre, quod directa vel indirecta sit occisio eiusmodi, talis profecto erit qualis occisio in allegatis exemplis. Eadem ergo conclusio erit inferenda. Prima igitur ratio ab iuvene adducta non sustinetur.

Attamen, tantisper demus, minime tamen concedamus, (quaestionem enim hanc ingredi nolumus) foetus huiusmodi occisionem esse undequaque directam, verum ne esset, eam sub quinto Decalogi praecepto, directe saltem, comprehendi?

(1) Angelicus Doctor *Quodl. 14* 1.^m ita scribit: « Homicidium, semper est peccatum, quia inordinationem habet inseparabiliter annexam: homicidium enim » plus importat quam occisio hominis. Composita enim nomina plus important » quam componentia. Importat enim homicidium occisionem hominis indebitam: et » ideo homicidium numquam est licitum, quamvis occidere hominem aliquando » liceat ».

Inutile non erit de eiusmodi quaestione disserere, quin tamen sententiam dicere praesumamus; quae autem disserimus lectoribus nostris consideranda permittimus.

Obiectum praecepti *non occides* videntur esse homines tantummodo in societate constituti, et per se existentes, illi scilicet qui de matris utero egressi sunt, vivuntque vita propria, non autem infantes in utero matrum adhuc clausi. Revera

1. Secundae tabulae praecepta proximum respiciunt, proximi autem intelliguntur illi qui nati sunt vitamque agunt cum hominibus et inter homines, quibus proinde quis possit misericordiam et charitatem impendere, eisque in necessitatibus subvenire. Quam aùtem misericordiam charitatemque infantibus in utero matrum clausis impendere poterimus? Et quomodo ipsi proximus noster esse poterunt, cum nobiscum non sint, et per matris uterum velut per murum a nobis dividantur? neque eos videmus, neque cognoscimus, neque sentimus? Hoc autem ex ipsis divinis literis confirmatur evidentissime, in quibus vox *proximus* semper et constantissime adhibetur ad designandos homines in societate existentes qui una nobiscum communibus naturae donis fruuntur, numquam ad indigitandos infantes nondum natos.

Neque hisce difficultatem facessit, quod matres teneantur conceptum infantem conservare, et eorum aeternae saluti etiam cum propriae vitae discrimine aliquando providere; quodque, quantum ad haereditatem attinet, leges humanae filium nasciturum veluti natum habent. Quandoquidem haec iusta et sancta sunt, exinde vero non infertur filios nondum natos inter proximos, prout haec vox generice in Sacris Scripturis sumitur, esse computandos; vox enim *proximus* relationem dicit universalem, ad omnes scilicet homines respectum habet: at foetus in utero matris clausus relationem dicit tantum ad matrem, et quidem ratione *filiationis* non *proximitatis,* si ita loqui fas sit, et haec duo vocabula minime convertuntur; numquam enim quis dixerit filium esse proximum matris. De cetero mater tenetur etiam foetum conceptum accurate conservare, etsi nondum effigiatum et efformatum. Num inde hic quoque foetus est proximus noster? allata hinc ratio nimis probare videtur.

Ideo vero leges filium nasciturum pro nato circa haereditatem habent, quia communiter concepti foetus crescunt et in lucem prodeunt, ad id enim conceptio ordinatur. Cum vero filius nasciturus post suam nativitatem consequitur iura omnia patris, hinc iura filio nascituro servantur, eiusque sunt post nativitatem. Leges hinc iuribus investiunt filium natum, non nasciturum, etenim si foetus in utero pereat, nulla iura ex ipso derivantur, et habetur veluti numquam conceptus.

2. Huic accedit, quod certum undequaque sit, ceteris Decalogi praeceptis quae proximum respiciunt, indicari semper homines individuos, et per se existentes, tum obiecta individua et per se existentia. Nam patres et matres, quos quarto praecepto honorare iubemur, per se in societate existunt, mulieres quibuscum sexto praecepto commisceri interdicimur pariter per se existunt; item obiecta quae constituunt furti materiam quod Deus septimo prohibet praecepto; tum per se existunt, vitamque agunt individuam et separatam illi omnes, contra quos falsum testimonium dicere prohibemur: tum demum, res mulieresque aliorum quas concupiscere vetamur nono et decimo praecepto sunt pariter per se existentes atque individuae. Nihil porro dicimus de praeceptis primae tabulae quae ad Deum omnium existentiarum fontem atque principium referuntur. Cum itaque certum sit, utriusque tabulae praeceptorum obiecta esse omnia individua vel a se, vel per se existentia, quomodo arbitrari possumus unicum quintum praeceptum referendum esse ad homines nondum in societate constitutos, sed in utero matrum adhuc clausos? Cum lex aliqua pro determinata personarum classe lata deprehenditur, ad eam tantummodo extendi debet, nisi de contraria legislatoris mente quoad aliquod praeceptum certo constet; sin minus confusio maxima in legis applicatione orire-tur. Unde vero deprehendimus divinam intentionem, voluntatemque ut etiam infantes nondum natos sub praecepto *non occides* comprehendamus? Non certe ex Decalogo, qui in ceteris praeceptis omnibus ad entia per se existentia et individua evidentissime applicatur, non ex alio scripturarum capite, quod in re non habemus; quin immo talia in Scripturis suppetunt quae thesim evidenter confirmant.

3. Negandum enim non est, Deum quinti praecepti lege sanctionem renovasse quae in lege naturae vigebat, quaeque constituebat tertium Noachidarum praeceptum, de effusione sanguinis seu homicidio, quodque ita *Gen. IX, 4 et seqq.* legimus: «Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, et de manu viri et fratris eius, requiram animam hominis. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius,* ad imaginem quippe Dei factus est homo.»

Atqui hoc in loco homicidium referri ad homines in societate existentes certissimum est; loquitur enim Deus de illis hominibus, quorum sanguinem requisiturus erit de manu cunctarum bestiarum, si eos sint devoraturae; at hi sunt homines qui ambulant, qui circumvagantur, qui bestiis circumvagando obviam fiunt. Cum igitur praece-

pto quinto Decalogi *non occides* praeceptum hoc Noe et filiis eius datum renovet Deus, ex hoc evidentissime patet, praeceptum *non occides* sub se comprehendere homines in societate et per se existentes, non infantes nondum natos.

4. Quid vero quod in universa S. Scriptura verbum *occido* semper adhibeatur ad indicandam mortem hominum in societate existentium, numquam illorum qui nondum nati sunt? Quid? quod nomen *homicidae* semper exprimat hominem qui foedaverit se caede vel odio hominis in societate existentis? Quid? quod *homicidium* semper indigitet occisionem hominis iam nati? Atqui credibile ne ėst in sexcentis textibus quae sunt circa occisiones ėt homicidia in Sacris Scripturis, quorum non pauci evidentissimam relationem habent ad praeceptum *non occides,* immo in memoriam hominum hoc praeceptum revocare videntur, numquam indicium habeatur quod etiam occisio infantium in utero matrum uti verum, et proprie dictum homicidium considerandum sit, sed semper respectus habeatur ad homines in societate existentes?

Hoc profecto incredibile cuique videri debet, si etiam foeticidium sub praecepto *non occides* comprehensum directe fuissėt, praesertim si consideret, apud Hebraeos generationem maximo in honore et reverentia habitam fuisse, atque horrendum quid, et incredibilis feritatis indicium sit foetus in utero matrum odio et ira necare. Ex aliis igitur Sacrae Scripturae locis foeticidium sub quinto Decalogi praecepto directe non includitur. Hinc investigemus an ex sensu et comprehensione ipsius praecepti contrarium detegi possit; at minime; nam

5. Quinto praecepto *non occides* nedum homicidium, et suicidium, sed prohibetur etiam mutilatio, verberatio, aliaque similis afflictio iniusta. At plurimorum horum vix aut ne vix quidem infantes in utero matrum clausi possunt esse obiectum. Quis enim irascatur infanti nondum nato, aut quaenam causa esse potest, ut ei iniustae afflictiones inferantur? Et dato etiam quod aliqua possit esse iniusta odii causa in conceptos foetus, hae adeo rarae sunt, ut putandus sit legislator ad eas non extendisse legem, cum hae fiant de iis quae communiter accidunt, praesertim si aliis legibus ad omnia quaelibet iam fuerit provisum. Quid? quod haec omnia prohibentur iuxta quod communiter inter homines contingant? Quid? quod si ad foetus conceptos haec applicemus, cum in nondum efformatos admitti possint, de homicidio tenerentur homines ob foeticidium informe, contra explicitum Scripturarum testimonium, quod inferius expendemus?

6. Addimus, Christum Matth. V. 21, sub eiusmodi praecepto iram conclusisse atque contumelias. « Au-

» distis quia dictum est antiquis: » *non occides;* qui autem occide- » rit, reus erit iudicio. Ego autem » dico vobis: quia omnis qui ira- » scitur fratri suo reus erit iudi- » cio; qui autem dixerit fratri suo » *raca,* rèus erit concilio; qui au- » tem dixerit *fatue* reus erit ge- » hennae ignis? Horum autem quomodo possunt esse obiectum infantes nondum nati? Numquid ad foeminarum uteros accedent homines ut conceptis foetibus dicant vel *raca,* vel *fatue,* aut alias contumelias irrogent? Quomodò insuper nondum nati infantes sunt fratres?

7. Verum ne in re tanti momenti Iudaicos Scriptores praeterire videamur, perpendere ducimus quamnam inter illos praestantissimi, Iosephus Flavius, et Philo Alexandrinus de foeticidio rationem habeant, et quidem non in abstracto, sed in subiecta materia. Porro Iosephus Flavius *Antiquit. Iudaic. IV, 8* §. *33* scribit: *Qui mulierem praegnantem calce pulsaverit, siquidem abortum fecerit mulier, a iudicibus pecunia multetur, ut qui ex foetu in ventre corrupto populum minuerit; viro etiam mulieris ab eo dentur pecuniae. Quod si illa ex ictu moriatur, et ipse mortem subeundo poenas luat; lege aequum esse censente, ut vita pro vita reponatur.* Edit. Havercampi.

Profecto Iosephus sequitur textum hebraicum, talemque nobis expositionem mosaicae legis porrigit, qualem in Vulgata habemus. Quid autem? homicidium verum habet mulieris occisionem; ideoque percussor ex lege vitam pro vita rependere debet; at pro abortu *pecunia multetur,* ut qui ex foetu in ventre corrupto populum minuerit. Sed si foetus ille erat animatus nonne homo erat? Attamen homicidium occisionem illam non appellat. Quare? Quia populum percussor non minuerat homine infra populum existente, sed *foetu in ventre matris corrupto:* unica igitur ratio quare Iosephus veluti homicidium foeticidium illud non habet est, quia foetus occisus nondum natus erat, nondum ad populum iudaicum pertinebat; at Flavius certe cavisset eiusmodi rationem adducere, si sub praecepto *non occides* occisio foetus animati comprehensa fuisset.

Hisce vero non obstant quae cit. Scriptor scribit lib. II contra Appionem cap. 24, scilicet. « Ve- » tat ne qua mulier susceptum se- » men aut eiiciat aut extinguat; » quae secus faxit, pro liberorum » interfectrice haberi vult, perinde » ac si re ipsa et foetus vitam op- » presserit, et generis sui propa- » gationem inhibuerit. » Haec, inquimus, obstare expositis non possunt; primo enim ex speciali lege eiusmodi sanctio repetenda est quae nullo pacto sub quinto Decalogi praecepto concluditur; deinde ipse Iosephus, non reapse, *sed perinde ac si reipsa foetus vitam oppresserit,* scribit; sed sub quinto prae-

cepto concluditur verum et expressum homicidium; demum, et hoc est peremptorium, num effusio seminis homicidium est?

At videamus utrum Philo Alexandrinus eadem dicat, scribat, et sentiat. In libro de Decalogo exponens quintum Dei praeceptum inquit: « Secundo interdicitur homicidium. Cum enim natura gregale ac compascuum edidisset illud mansuetissimum animal, ad consensum et societatem invitavit, dato eis sermone, quo magis conciliarentur, conspirarentque moribus. Proinde quisquis occidit alterum, sciat se naturae ius fasque subvertere, scriptum ad omnium utilitatem publicam, sciat etiam se committere sacrilegium, sublata e possessione Dei re sacratissima. Quid enim tam religiosum, tam sacrum est quam homo? »

Ex Philone itaque sub quinto praecepto concluditur occisio hominis quem natura iam edidit, qui est compascum et gregale animal, quique in societate est: hoc autem esse ne potest foetus in utero matris existens? Quandoquidem et natura nondum illum edidit, et nondum est compascuum et gregale animal, et nondum ad hominum societatem pertinet.

In libro vero de *specialibus legibus* textum Exodi XXI commentaturus haec profert: « Quod si quis rixando cum muliere gravida pugnos in ventrem inflixerit, ita ut abortus sequatur, si abortivum informe fuerit, mulctetur tum propter violentiam, tum quia fuit impedimento naturae exorsae opificium hominis, animalis pulcherrimi. Quod si formatus foetus membra et in ordinem digesta habuerit, moriatur percussor; iam enim erat homo qui in naturae officina interemptus est, nondum ab ea prolatus in lucem, similis statuae latenti apud fictorem suum, et nihil aliud expectanti quam dum libeat illi spectandam proponere populo. »

Atqui iis praetermissis quae dicere possemus de diversitate hebraici textus ac Septuaginta versionis, quam sequitur Philo, de quo infra; cunctis apparet, hanc esse legem specialem, quae sub quinto praecepto non concluditur; sermo enim in illa est de homine interempto in naturae officina nondum in lucem prolato atque adhuc in utero matris latente; dum e contra sub quinto praecepto concludit Philo hominem iam editum qui una cum aliis hominibus vitam ducit; homo igitur de quo loquitur in expositione quinti praecepti non est homo de quo sermonem habet in lege de abortu explicanda; hic igitur sub quinto praecepto non concluditur a Philone. Revera nonne mens Philonis est, sub quinto praecepto eos tantummodo homines concludi qui perfecti sunt quique sunt *absoluta,* ut ipse inquit, *animalia?* Nonne mens eius

est, foetum quamvis formatum, non esse animal absolutum, non esse ceteris hominibus adscriptum, esse adhuc partem matris, eique aliquid deesse quod humana natura postulat? Profecto haec affirmat Philo. Loquens enim de infantium expositione, ideo hanc, inter alia argumenta, improbat, quia « si prospi-
» ciendum est, ne ante praefinitum
» nativitatis tempus vim patiantur
» in utero, quanto magis conser-
» vandi sunt iam editi, et quasi
» novelli coloni adscripti caeteris
» hominibus, ut una fruantur na-
» turae donis? »

Atque paullo post: « Quanto
» magis expositionem infantium ve-
» titam innuit, qui auctori abortus
» infligit poenam capitis, si foetus
» iam formatus erat in utero, quam-
» vis infantem tantisper dum ma-
» trice clauditur, partem matris
» aiunt scrutatores naturalis philo-
» sophiae, cumque his medicorum
» probatissimi, qui paraturam ho-
» minis inspexerunt, non foris so-
» lum, verum etiam dissectis cor-
» poribus, ne quid eius ignoratum
» in curandis morbis afferret cau-
» sam ingentis periculi. Hanc con-
» cretionem partus secernit, absol-
» vens animal, ita ut nil ei desit
» eorum quae natura humana po-
» stulat. »

Atque exinde audimus Philonem *vere homicidam* vocare hominem qui infantem iam natum utcumque occidat, abstinere autem eiusmodi vocabulo dum loquitur de foetus percussore. De illo enim inquit: « proinde sine controversia
» homicida est quisquis infantem in-
» terimit, aetate non obstante, cum
» lex vindicet iniuriam illatam ge-
» neri; de isto: » *moriatur percussor, iam enim erat homo qui in naturae officina interemptus est;* rationem scilicet addit quare mori debeat, non quod ex lege verus homicida habeatur, talis scilicet, qualis homicida est qui sub quinto praecepto concluditur.

8. At expendamus ipsum Scripturarum textum, quem in citatis testimoniis tum Iosephus Flavius, tum Philo exponendum susceperunt. Illud porro habetur Exod. XX, 22. *Si rixati fuerint viri et percusserit quis mulierem praegnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint; sin autem mors eius fuerit subsecuta reddet animam pro anima.*

Atqui ex hoc testimonio nihil tam evidens est quam quod foeticidium sub quinto Decalogi praecepto non concluditur. Quinti enim praecepti sanctio est, non in ipso Decalogo, sed alibi a Deo per Moysem indicta, poena capitalis: *reddet animam pro anima;* quam sanctionem inflictam mulieris praegnantis percussori reperimus, si haec mortua fuisset.

Quomodo igitur, si veri homicidii crimine ob foeticidium tenebatur percussor, factum est, ut non

capitalem sententiam subiret, sed subiaceret damno quantum maritus mulieris expetierit, et arbitri iudicaverint? Atque advertendum est, Moysem indistincte loqui, neque mentionem facere de foetu animato vel inanimi; ita ut utrumque citatus Vulgatae textus complectatur.

Huic tamen lectioni adversari videntur Septuaginta Interpretes, qui ita citatum versiculum ex hebraico textu vertunt. *Quod si litigabunt duo viri, et percusserint mulierem praegnantem, et exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir mulieri, et dabit cum honore. Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima.* Quem textum ita exponit Cornelius a Lapide *Comment. in Exod. Cap. XXI.* « Idem erat iudicium (id est poe» nae capitalis irrogatio) si percu» tiens non occidisset praegnan» tem, sed illi prolem iam anima» tam excussisset, itaque eam ne» casset. Hic enim, utpote infan» ticida, perinde reus erat mortis » atque matricida. Id diserte si» gnificant Septuaginta, qui pro » Hebraeo *Ason,* quod noster mor» tem vertit, videntur legisse *is» chon,* id est *virunculus.* Vertunt » enim... *si effigiatus vel efformatus » sit puer,* quasi dicant: Si proles » perfecta habeat membra, ita ut » sit plene effigiatus, et quasi par» vus quidam vir, sive virunculus; » tum qui illam matri praegnanti » sua percussione excutit, animam » dabit pro anima, id est vitam » suam, cuius anima est causa, da» bit pro vita prolis, ut sicut eam » excussit et occidit, ita occidatur » et ipse. »

Itaque iuxta versionem Septuaginta, excussores foetus efformati, vel effigiati homicidii crimine tenebantur, non effigiati aut non efformati foetus occisores damnorum illatorum poena puniebantur.

Attamen eiusmodi diversae hebraici textus expositionis causam esse, iuxta Cornelium a Lapide, quod Septuaginta legerint *ischon* seu *virunculum,* auctor Vulgatae legerit *ason* id est *mortem.* Difficultas igitur et universum quaestionis argumentum in diversa hebraici textus lectione consistit. Petimus igitur: quaenam est vera lectio? Si enim lectio Vulgatae vera est, foeticidium sive inanime sive animatum ab proprie dicti homicidii crimine, de quo in quinto Decalogi praecepto sermo est, excludere debemus; si vera est lectio Septuaginta, homicidium erit tantum occisio foetus animati. Sed quaenam est vera lectio? Cum enim certitudo legis ex certa lectione pendeat, si haec dubia sit, concludere non possumus sub veri homicidii crimine foeticidium etiam animatum, cum lex dubia non obliget; atque cum sensum plane diversum patiatur, mitiorem sensum amplecti debemus; plane enim est iniustum duriori sensu legem applicare, quando non constat an Legislator

sensum illum voluerit, et omnibus indixerit.

Quidquid insuper sit de graeco textu, nos Vulgatae *libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis suscipere debemus;* Vulgata insuper editione uti in *publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus,* prouti declararunt Tridentini Patres *Sess. IV.* Ita ut pro Latinis de quaestione huiusmodi prorsus actum esset.

Attamen ne dubium aliquod nobis superesset de vera haebraici textus lectione, opportunam epistolam ad doctissimum virum dedimus, atque Sacrarum Scripturarum professorem, ab eoque quaesivimus

1. An in hodierno textu hebraico legatur *ason vel ischon?*

2. Quaenam lectio verior censeri debeat?

3. An Versiones et Paraphrases orientales cum Vulgata vel cum Septuaginta concordent?

Haec autem humanissime respondit: « Septuaginta Interpretes » sensu valde a Vulgatae sensu di- » verso citatum textum exponunt, » dum vertunt: *si exierit infans* » *eius non effigiatus, non bene for-* » *matus... si autem formatus fue-* » *rit* etc., atque ita iuxta foetus » statum duos casus distinguunt, » dum Vulgata unum abortum di- » stinguit ab occisione matris. Con- » tingere potuit, ut Septuaginta in » textu hebraico pro hodierno vo- » cabulo *ason* (exitium, mors) lege- » rint vocabulum iscion (vir, homun- » cio), aut aliquod aliud vocabulum, » quod expositum ab ipsis sensum » redderet; sed potuit etiam con- » tingere ut hebraicum textum, » prouti nunc se habet, legerint, » atque potius quam literalem, pa- » raphrasticam versionem confece- » rint, ut alias fecerunt.

» His positis breviter ad pro- » positas quaestiones respondeo.

» Ad 1. Non solum omnes edi- » tiones textus hebraici habent » vocem *ason,* sed etiam omnes » codices manuscripti eiusdem te- » xtus.

» Revera in magnis collectio- » nibus variantium Kennicot, et » Bernardi de Rossi, nulla nota- » tur variatio in duobus versiculis » Exod. XXI. 22. 23.

» Ad 2. Iuxta accuratas criticae » regulas lectio actualis textus he- » braici uti certa retineri potest, » cum diversa non habeatur in an- » tiquis Codicibus; e contra lectio » quae inducit vocem *iscion* merae » coniecturae innititur, quae variis » modis excludi posset.

» Ad 3. Paraphrasis Chaldaica » Onkelosi, et omnes, ut arbitror, » versiones immediatae libri Exodi » cum Vulgata conveniunt.... at » versiones quae originem ducunt » ab Septuaginta, ut Syriaca Exa- » plaris, Armenica etc. retinent » versionem textus prout apud Se-

» ptuaginta habetur; sed eiusmodi » concordiam comprobare non po- » tui ».

Atqui ex his quae praestantissimus Professor edisseruit liquido apparet, Vulgatae potius retinendam esse lectionem quam Septuaginta Interpretum; consequenter occisionem foetus etiam animati uti proprie dictum homicidium spectatum non fuisse, cum homicidii poenae irrogentur tantummodo ob mortem matris, et sanctionem utriusque occisionis esse omnino diversam. Nullam hinc difficultatem parere Patres, Doctores, et Scriptores illos qui distinctionem fecerunt inter foetum nondum efformatum et effigiatum, cum hi sequuti sint Septuaginta lectionem, quae minus vera est. Iosephum Flavium de rebus Iudaicis peritissimum nullam circa foetum distinctionem fecisse, facturum certe si vel ex Doctorum consensu, vel in iudiciorum ordine distinctio illa fuisset inducta; deesse hinc legem certam, deesse certitudinem quamlibet ob legis applicationem in casibus particularibus, cum casus practici in Scripturis non suppetant; unde ergo tanta hauritur securitas in concludendo foeticidio sub quinto Decalogi praecepto?

Attamen ad haec quae praestantissimus Professor disseruit liceat nobis addere, lectionem Vulgatae melius reddere contextum citatae legis, quam lectionem Septuaginta Interpretum, ita ut ex hoc etiam appareat retinendam esse Vulgatae Lectionem. In versione enim Septuaginta postquam dictum est: *quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima,* sequitur, prout etiam in Vulgata, *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combusturam pro combustura, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Quae quidem si de poena talionis inferenda interfectae causa, vel ob percussionem demortuae mulieris praegnantis dicta intelligamus, quamvis nonnulla difficillime, tamen aliquo pacto intelligere illa possumus; at si dicta sunt de foetu in utero matris adhuc clauso, profecto sunt inexplicabilia. Atque hinc ipsa Origenis mens nonnisi spiritualiter relate ad infantem citata verba explicare potuit. Scribit enim Hom. X. in Exodum (1). « Quod si infans iam for- » matus exierit, percussa a litigan- » tibus viris praegnante muliere, » animam dari pro anima facile » intelligimus, hoc est ut morte » vindicetur admissum. Quae se- » quuntur autem, operae pretium » est explicare. *Oculum pro oculo,* » *dentem pro dente.* Neque enim » videtur esse possibile, ut infans, » quem percussa mulier abortierit, » quamvis formatus exierit, intel- » ligamus quod viri litigantis calce

(1) Migne, Patrolog. Graec. Tom. XII, pag. col. 370.

» percussus oculum in ventre per- » diderit, pro quo percussor or- » bari oculo a iudicibus debeat. » Sed pone sit et hoc, quia iam » formatus refertur, quid et de » dente dicemus? Nunquid in ven- » tre matris dentes habuit, quos » percutientis ictus excuteret? » At haec saltem de muliere intelligi possunt. Ergo in subsequentibus textui ebraico magis vulgatae conformis est Lectio quam Septuaginta interpretum; Vulgatae ergo potius lectio retinenda est, quam Septuaginta.

Sed si Vulgatae lectionem retineamus, cum nullo modo distinguat foetum animatum inter, et inanimatum, cumque percussorem de homicidio neque incuset, neque damnet; quo iure foeticidium sub quinto Decalogi praecepto concludemus?

Atque advertendum est etiam, hoc in Capite XXI, Moysen vera homicidia capitali, sententia plectere. V. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* V. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias . . . . . moriatur.* Quin imo ea quoque homicidia quae neque volita neque intenta fuere, extremo supplicio puniri iubentur; ut v. 29: *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudius tertius, et contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem, et bos lapidibus obruetur, et dominum eius occident;* profecto, quia negligentia sua factum est, ut homicidium contingeret. Qua igitur ratione, Moyses dum de foeticidio loquitur, illud neque homicidium appellat, neque percussorem poena capitali, sed tantum multa punit? Etenim foeticidium illud quodcumque, erat nec ne homicidium proprie dictum? Si erat homicidium, quomodo reum tanti criminis percussorem non facit, prout reum constituit dominum bovis cornupetae, qui certe minori culpa deliquit quam percussor mulieris praegnantis? Si autem illud uti homicidium non habuit, quomodo foeticidium sub quinto praecepto Decalogi concludemus? Paucis et evidentius: Si iuxta Vulgatae lectionem Cap. XXI Exod. foeticidium neque vocatur, neque punitur uti homicidium, profecto ab quinto Decalogi praecepto eximendum est, cum impossibile sit ut Moyses legi divinae, et principalissimae derogaverit.

Verum instaurare argumentum quis posset, quod ex textu hebraico non appareat, de cuius morte sermo habeatur, matris ne an filii: « utrumque sensum, inquit Calmet » *in hunc loc.* Hebraicus textus pa- » titur, qui habet v. 22. *Si non* » *occubuerit* (vel si vulnus lethale » non fuerit) et v. 23. *Si occu-* » *buerit* (si vulnus lethale fuerit); » quin exprimat de quo loquatur, » de matre ne, an de filio. »

At haec quin nostrae sententiae noceant, favent potius. Si enim ex

legis textu non intelligitur, de cuius morte sermo sit, lex ergo non est clara et aperta; non potest ergo legis sanctioni foetus interfector subiici, quia ad incurrendam legis sanctionem requiritur certae legis transgressio; quin imo latae legis transgressor dici non potest, cum lex sit incerta; nescitur, scilicet, pro quo lata sit, pro matris ne, vel filii occisore.

Neque quis subsumat, saltem a poena capitali percussorem mulieris praegnantis fuisse ab Moyse exemptum, quod percussione sua non foetui, sed mulieri voluerit damnum inferre. Etenim respondet Dominus bovis cornupetae, ideo fortasse bovem non reclusisse domi, quia sperabat eum nulli mortem esse illaturum; innocentior profecto. At percursor mulieris praegnantis optime praevidere poterat mulierem percussam abortum facturam. Deinde, qui iuxta versionem Septuaginta argumenta instruunt, nonne eadem difficultate premuntur? Quandoquidem percussor non concepto foetui, sed matri gravidae, quae adversariis suis auxilio erat, iniuriam et damnum inferre voluit.

Non deerunt tamen qui suspicaturi erunt, Moysem ideo damnorum damnasse mulieris praegnantis percussorem, non autem homicidii, quia penes Iudaeos patribus erat plena in filios potestas, ita ut hos vendere etiam potuerint, ut patet Exod. XXI. 7. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillae exire consueverunt.* Atque Deut. XV, 12. *Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebraeus, aut hebraea, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum.* Ex quibus inferre fortasse posse sibi putabunt, quod cum plena esset in filios patria potestas, arbitrio mariti rei compositio dimissa fuerit relate tantum ad poenam; non quod occisio foetus homicidium verum reputatum non fuerit. At eiusmodi difficultas per se corruit si consideremus 1. nullam Hebraeis filios occidendi factam fuisse nec a Deo, nec a Moyse potestatem, sed tantum in famulos et servos vendendi, idque ratione fortasse paupertatis qua premebantur.

2. Ex citato Philonis testimonio scimus, parentes qui infantes suos exponebant, si hi mortui fuissent, quod nemo illos collegerit, uti veros homicidas iudicatos fuisse. Atqui et in hos parentes plenam potestatem in hypothesi citata habuissent.

3. Si hanc difficultatem adversarii urgeant, quomodo se expedient Septuaginta versione, cui innituntur, quae homicidii damnat percussores mulieris praegnantis, si abortivum effigiatum ex utero proiecisset? Id autem ex latae legis sanctione, non vigore patriae potestatis?

Eiusmodi hinc difficultas nobis non nocet, sed favet. Si enim lex

infantium expositorum mortem veluti homicidium iudicabat, nihil obstante patria potestate, qua de causa ab eadem sanctione abortivum exclusisset, si et abortivum verum homicidium habitum ex lege fuisset?

Attamen quis dicturus erit: occisio hominis quinto Decalogi praecepto prohibetur. Atqui saltem foetus effigiatus in utero matris est homo. Ergo haec occisio concluditur sub quinto Decalogi praecepto.

Verum nos non disputamus utrum foetus efformatus in utero matris sit homo; sed an sit talis homo quem Deus concluserit sub quinto Decalogi praecepto; an scilicet Deus dum praecepit: *non occides,* hoc dixerit vel tantum de hominibus in societate constitutis, vel etiam de infantibus in utero matris adhuc degentibus; manifestum est enim etiam ex humanis legibus aliquando idem crimen comprehendi sub lata lege, aliquando non comprehendi. Id autem cum Legislator divinus non expresserit, ex scopo, fine aliisque adminiculis detegendum est. Porro rationes quas attulimus ad probandum foetus in utero matrum clausos non esse illius praecepti obiectum, ni fallimur, spernendae non videntur. Quamvis igitur foetus huiusmodi in utero matris clausus sit ut homo considerandus, non videtur tamen eius occisio sub quinto Decalogi praecepto comprehendenda. Quidquid enim dicatur certum est, etiam ob Philonis auctoritatem, infantem in utero matris clausum non esse perfectum hominem.

Certum insuper est ex textu tum Septuaginta, tum Vulgatae, occisionem infantis nondum efformati seu effigiati non esse uti homicidium considerandam. Attamen sententia communis nunc est, foetum animari in ipso conceptionis instanti; mulier autem quae praegnans dignoscitur, a nonnullis iam mensibus concepit. Hinc sequitur non tam ex animatione, quam ex corporis evolutione et proportione foetum consideratum fuisse. Et revera graecus textus non dicit: *quod si animatus fuerit;* sed: *Quod si formatus fuerit,* iuxta interpretationem quam a Lapide conficit. Atque si contrarium dicamus non intelligitur quare mortis poena multanda non sit etiam occisio foetus nondum efformati, cum habeat et hic animam.

Omnes vero facile intelligunt, nulla veritate eiusmodi textum contra craniotomiae liceitatem afferri, cum in eo agatur de illicita mulieris percussione, ex qua sequatur abortus et mors foetus; in casu nostro autem de occisione foetus ad salvandam vitam matris necessaria, dum ipse, vivente vel moriente matre, necessario sit moriturus.

Dum itaque iuvenis destinatus ad resolvendum allegatum casum affirmavit, foetus occisionem in utero matris prohiberi praecepto

non occides, quasi directe sub hoc praecepto foeticidium Deus concluserit, rem affirmavit, quam aliquo saltem argumento probare debuisset.

Verum quid tandem boni, lectores nostri petituri erunt, ex eiusmodi quaestione? Etenim quamvis foeticidium sub quinto Decalogi praecepto directe non comprehendatur, comprehenditur tamen infra naturalis iuris praecepta, quibus certe prohibetur; omnia vero praecepta naturalia et moralia praecepta veteris legis Decalogo continentur, vel ad illum reducuntur. Optime, respondemus; attamen nos hoc unum probare voluimus, foeticidium sub quinto Decalogi praecepto directe non contineri, ut in exposita casus resolutione affirmatum fuit, et nihil aliud; hinc consequens est, foeticidium non esse verum et proprie dictum homicidium illud, quod quinto Decalogi praecepto Deus directe prohibuit. Quae enim directe sub quinto Decalogi praecepto comprehenduntur, ad illud non reducuntur.

Secundam rationem ad probandam occisionem foetus eiusmodi esse illicitam desumit praestantissimus iuvenis ex notissimo effato: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Quod quidem verum est. Attamen solidis argumentis antea probare debuisset, occisionem in casu esse *malum,* eamque prout exponitur criminosam esse.

Hoc enim constituebat statum quaestionis. An id factum fuerit, nescimus; si autem reapse factum non fuit, fiat; sin minus resolvens supposuit uti certum quod in quaestione versatur, quod est dialectico indignum.

Perpendamus hinc celeberrimum s. Ambrosii testimonium, quod resolvens affirmat merito casui exposito applicari.

Cl. Avanzini paucis vim argumenti excluserat, scribens: « S. Ambrosius loquitur de clerico, qui » ut moribundus testamentum com» mutet, curat; ut scilicet alium » haeredem instituat, qui nullum » ius habet ad haereditatem. At » vero quomodo haec locum ha» bere possunt in matre, quae ve» rum ius habet ad tuendam pro» priam vitam? »

Quod si quis responsum ab Avanzini datum in dubium revocet, en S. Ambrosii testimonium integrum: *De officiis Cap. VIII n. 57.* « Nihil itaque deformius quam nul» lum habere amorem honestatis, » et usu quodam degeneris mer» caturae, quaestu sollicitari igno» bili, avaro aestuare corde, die» bus ac noctibus hiare in alieni » detrimenta patrimonii, non ele» vare animum ad honestatis nito» rem, non considerare verae lau» dis pulchritudinem.

» N.58. Hinc nascuntur aucupio » quaesitae haereditatis, continen» tiae atque gravitatis simulatione » captatae, quod abhorret a propo-

» sito christiani viri; omne enim
» quod arte elicitum, et fraude com-
» positum est, caret merito simplici-
» tatis. In ipsis qui nullum ecclesia-
» stici ordinis officium receperint, in-
» congrua iudicatur affectatae ambi-
» tio haereditatis. In supremo fine vi-
» tae positos suum habere iudicium,
» ut libere testentur quod sentiunt,
» qui postea non sunt emendaturi:
» cum honestum non sit compe-
» tentia compendia aliis vel debita,
» vel parata avertere, cum vel Sa-
» cerdotis, vel ministri sit prodes-
» se, si fieri potest, omnibus, obes-
» se nemini.

» 59. Denique si non potest al-
» teri subveniri, nisi alter laeda-
» tur, commodius est neutrum iu-
» vari, quam gravari alterum. Ideo-
» que in causis pecuniariis inter-
» venire non est Sacerdotis: in
» quibus non potest fieri, quin
» frequenter laedatur alter qui vin-
» citur, quoniam intercessoris be-
» neficio se victum arbitratur. Sa-
» cerdotis est igitur nulli nocere,
» prodesse velle omnibus: posse
» autem solius est Dei. Nam in cau-
» sa capitis nocere ei quem iuvare
» debeas periclitantem, non sine
» peccato est gravi; in causa au-
» tem pecuniae odia quaerere, in-
» sipientiae est, cum pro salute
» hominis graves frequenter fiant
» molestiae: in quo etiam pericli-
» tari gloriosum sit. Proposita igitur
» forma in Sacerdotis officio tenea-
» tur; ut nulli noceat, ne lacessitus
» quidem et aliqua iniuria offensus.»

At quid haec relate ad embryotomiam, de cuius liceitate disceptamus?

Etenim S. Ambrosius avaritiam excludit, fraudesque ad captandas haereditates, vel ad avertendas dispositiones testamentarias alicuius favore iam factas; indecens esse Clericis proclamat intervenire in causis pecuniariis, atque alicui nocere, cum Sacerdotis sit omnibus prodesse; cum insuper liberum testatori sit bona sua cui placuerit relinquere, iniuria ei fit cui bona testata sunt, si testatoris voluntas avertatur. Id enim odio vel aemulatione contingit. Optime hinc in eiusmodi casu sancivit, quod cum facultas sit testatori libere testandi, irrevocabiliter autem testatus sit, atque haeres iam constitutus, alius qui subrogari vellet, nullum ad haereditatem ius habeat, atque si voluntas testatoris vincatur, eumque subroget, alteri damnum inferatur, optime inquam sancivit, quod si alteri subveniri non potest, nisi alter laedatur, commodius est, (commodius inquit, non necessarium) neutrum iuvari, quam gravari alterum. Evidens autem est, reliqua verba: *proposita igitur forma in Sacerdotis officio teneatur, ut nulli noceat, ne lacessitus quidem et aliqua iniuria offensus,* ad sententiam Christi referri: *Non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam praebe illi et alteram* etc. Quin imo S. Ambrosius

eiusmodi doctrina Ciceronis sententiam elidere voluit, qui lib. III de officiis scripserat: *Iam se ipse doceat eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria.* Virtutem quapropter heroicam a Sacerdote S. Doctor requirit. Sed haec omnia quid commune habent cum croniotomia? Quandoquidem haec inducta est ut servetur vita matris, cui foetus mortem infert. Nulla igitur inter S. Ambrosii sententiam et casum nostrum est paritas. Supervacaneum demum est animadvertere, S. Ambrosium loqui de laesione, quae sine ulla necessitate inducitur: at contrarium in craniotomia contingere.

Attamen clarissimus Eschbach Avanzinium impugnans theologos excusat qui citato sancti Ambrosii testimonio usi in re sunt, atque affirmare videtur, in illa contineri principium absolutum et generale scientiae moralis christianae; saltem dicit, ab theologis hoc sensu testimonium illud habitum et allegatum iure merito fuisse (1).

Quid ergo: quod si S. Ambrosii sententia in principium erigatur, falsa est et scandalum faciat? Quod ne metaphisicis argumentis aut theologicis probemus, ad casus practicos recurrimus, ut adversarii nostri videant, quantopere in S. Ambrosii sententia urgenda, a veritate et iudicio exorbitent.

1. Bos cornupeta infra Praesepis angustias in duos custodes irruit, eosque certo certius erit interfecturus, eo quod nec fugere possint, nec bovis furorem declinare. Clamant: supervenit alter, qui animadvertit quod si unum e custodibus, fune mediante, vel aliter, e praesepe subtrahat, bos cornupeta in alium qui remanet toto furore irruet, eumque citius erit interfecturus, dum e contra simul contra bovem pugnando, vitam ad summum per aliam brevem horae partem ducere poterunt. Si ad casum applicemus S. Ambrosii sententiam: *Si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari*, dimitten-

(1) Opusc. cit. pag. 28. « In vero non sembra che la dignità *dei gravi teo-* » *logi* sia qui molto compromessa. Eglino non ignoravano punto che il S. Dottore » aveva prounziata la suddetta sentenza parlando del chierico e non trattando per » nulla dell'embriotomia. Essi citano il capitolo ed il libro donde quella è tratta, » ed apprendono ai lettori che si trova inserita nel Decreto di Graziano, *Cap.* » *Denique 14. p. 5.* Ma essi han creduto da una parte che questa *stessa sen-* » *tenza enunciava un principio assoluto e generale della morale cristiana,* » e dall'altra parte che nel caso in questione, stritolare e traforare la testa del » bambino, dovesse anche questa operazione divenire il punto di partenza della » salute della madre, era lo stesso che danneggiarlo e fargli ingiuria. Essi hanno » in tal guisa potuto molto legitimamente proclamare la immoralità di un simile » atto, fondandosi su questo che, come dice benissimo S. Ambrogio: Si alteri sub- » veniri non potest etc. »

di essent infelices furori bovis cornupetae, quia si unus subtrahatur, alter citius interficiendus erit.

2. Pariter: homines duo effodiunt sub quadam rupe; prolabitur scopulus super illos, quem cum nullo pacto a se amovere possint, brevi morituri sunt. Ad eorum miserrimos clamores accurrit homo, et sincero animo totisque viribus opportuna auxilia eis praebere desiderat. At animadvertit quod si alterutrum e scopulo subtrahat, hic toto pondere super alium consistet, eumque citius contriturus erit. Angustiae sunt undique. At nixus S. Ambrosii testimonio, quod scilicet, *si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari,* hortatur infelicissimos ad patientiam, et ad bene moriendum, et utrumque perire sinit.

3. Similiter; mater habet duos infantes et veluti altera Agar in deserto aquam non invenit, et infantes siti aestuantes brevi morituri sunt. Animadvertit sibi parum lactis in uberibus manere, ad quod putat utrumque infantem aequale ius habere. At simul animadvertit, lac tam modicum esse, ut unius quidem sitim extinguere possit, utriusque minime; ita ut si utrique tantillum lactis porrigat, uterque infans moriturus erit, si uni tantum, unum salvabit. Malo infantium fato et ipsa a quodam concionatore quadragesimali pronuntiatum audierat S. Ambrosii testimonium, scilicet: *Si alteri subveniri non potest, nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari:* illud ad casum applicat, et utrique filio tantillum lactis porrigit, quos proinde paullo post oculis suis animam Deo reddere cernit.

4. Et ne prolixiores simus. Quaedam Paroecialis Ecclesia sita erat super altissimam rupem, et Paroeciali domui adhaerebat hortus, in quo ficulnea excreverat. Cum fructibus abundaret, duo homines putantes Parochum abesse, ascenderunt in arborem ficos comesturi. Dum comederent atque riderent, abrumpitur ramus in quo consistebant, et praecipites per rupis abrupta obvolvuntur. Attamen dum praecipites abirent, unus ramo implicatus fortiter haesit arbustulo qui infra rupem excreverat, alter ramo pendulus fortiter haerebat. Ita tamen consistebant, ut nullo modo mortem evitare possent. Emittunt clamores horrendos, qui Parochum excitant non absentem, sed dormientem; hic domus fenestram aperit, et illico intelligit quid evenerat. Funem arripit et ad locum pergit opportuna laturus auxilia. Diligenter prospexit, atque animadvertit, se funem proiiciendo, proximiorem quidem salvare posse; hunc tamen ramo sese expediturum, et socium ea de causa illico in praeceps abiturum. Mala hominum sorte Parochus paucos ante dies interfuerat Congregationi ad morales quaestiones enucleandas ab

Episcopo institutae, atque communibus suffragiis probatam audiverat Divi Ambrosii sententiam, *si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari:* funem hinc proximiori non proiicit, quod videret se alteri socio mortem acceleraturum. Infelicissimos igitur hortatur ad patientiam, et ad eliciendum sincero corde actum contritionis, eis post haec absolutionem Sacramentalem impertitur, qua vix peracta, homines in praeceps abeunt et illico moriuntur.

Possunt ne haec sustineri? possunt ne serio dici? possunt ne cogitari? Attamen si sententia S. Ambrosii in principium erigatur, haec admittantur oportet. At si S. Doctoris sententia in principium erigenda non est, si moveri non debet ex casu particulari, pro quo pronuntiata fuit, et in quo, ipso fatente, peccatum *insipientiae* committitur; si ex illo casu particulari semota, et generaliter sumpta, falsa est, scandalosa, ne dicamus, prorsus immoralis, profecto vera erit haec altera propositio: *Si e duobus in periculo mortis constitutis uni subveniri potest, etiam cum alterius damno, commodius est uni subvenire, quam neutrum iuvari,* praesertim si unus sit causa mortis alterius, prout in casu nostro foetus est causa maternae mortis.

Hoc porro principium etiam aliis sententiis a theologicis propugnatis conforme est, alias inter illi, qua propugnatur, licere homini innocentem defendere ab iniusto aggressore, etiam cum huius occisione, si alia ad innocentem defendendum non suppetit via; quae veritas in pessum abit, si ei S. Ambrosii sententia applicetur; non possemus enim innocenti subvenire cum aggressoris laesione; innocens hinc esset vel discrimini dimittendus, vel in aggressoris violentia et obstinatione inaniter iuvandus.

Neque quis nos arguat quod D. Ambrosii sententiam ad casum iniustae aggressionis transferamus; vis enim argumenti nostri non in hoc consistit, sed in eo tantum *quod si alteri subveniri non potest nisi alter laedatur, commodius est neutrum iuvari;* quae sententia generice accepta falsa est, immoralis, et inhumana.

Abstinuissemus relatione aliorum quae in praestantissima illa Congregatione dicta sunt; at quoniam cl. Eschbach et illa refert, ne prolatas sententias declinare videamur, et nos illas referimus.

« Unus e censoribus addidit, agi » in casu de defendendo principio » contra ingruentem materialis» mum; pertinere autem ad Sacer» dotes Sanctae Ecclesiae vera prin» cipia defendere, quae sunt fun» damenta verae scientiae; caven» dum hinc esse novis doctrinis, » atque fortiter insistendum veris » traditionibus doctrinae theologi-

» cae praecedentium saeculorum.
» Petrum Avanzini ab eiusmodi tra-
» ditionibus recessisse, dum pro
» craniotomia dissertationem scri-
» psit solido argumento destitutam.
» Epitomator autem postquam
» argumenta ab Avanzinio adducta
» futilia demonstrasset, conclusit :
» *Sententia quae occidere infantem*
» *licere docet ad servandam ma-*
» *trem, quando ambo sint perituri,*
» *sustineri non potest* (1) ».

(1) Uno dei Censori presenti, in cui tutta Roma riconosce una sicurezza di vedute nelle questioni di morale , aggiunse alla soluzione alcune considerazioni del maggiore interesse, le quali furono accolte con singolare compiacenza. « Qui trattasi, egli disse, di difendere un principio contro l'invasione delle dottrine più o meno materialistiche dei nostri giorni. Ora è a noi, sacerdoti della santa Chiesa, che ha il Signore affidata la custodia dei principii che sono il fondamento della vera scienza: *Labia Sacerdotis custodient scientiam.* Noi dobbiamo in conseguenza tenerci in guardia dalle nuove dottrine , e restar saldi nelle vere tradizioni dell'insegnamento teologico dei secoli che ci han preceduto. Il compianto Avanzini . . . si è discostato da questa tradizione, scrivendo negli *Acta S. Sedis* la dissertazione che ha dato luogo a questo dibattimento, e che ci pare sprovveduta di qualche serio argomento. Per la qual cosa fin da quando essa venne alla luce, levaronsi contradizioni da ogni parte, principalmente qui, nell'Italia, ed in Francia.

L'*Epitomatore,* ovvero il censore destinato a riassumere la discussione, prese in seguito la parola. Dopo avere stabilito una volta di più il vero stato della questione, espose i principali argomenti, coi quali l' Avanzini erasi studiato di appoggiare la sua dottrina , ne mostrò poi brevemente, ma con logica irresistibile, la poca saldezza e la futilità. Rispose da ultimo a ciascuno dei tre dubbii nel senso della dissertazione del risolvente, e confermò di nuovo l'assoluta illecitezza della embriotomia sopra un infante vivo. *Sententia quae docet etc. apud Eschbach op. cit. pag. 59–60.*

Iis praetermissis quae censor et Epitomator protulerunt, a cl. Alphonso Eschbach humiliter petimus: an ipse noverit rationes illas , quibus Epitomator breviter, sed logica ineluctabili, falsa demonstravit argumenta ab doctissimo atque prudentissimo Avanzinio adducta, et animadversiones maioris momenti ab uno e Censoribus prolatas, quae exceptae fuerunt singulari animorum voluptate? Si novit, quare non attulit? ni novit, quomodo illas rationes et animadversiones vocare potest maioris momenti et ineluctabiles? Affirmat pariter praestantissimus Rector seminarii Gallici, ab Epitomatore iterum positum fuisse verum quaestionis statum. Quinam est hic verus quaestionis status? Est ne ille quem ipsemet posuit in suo opusculo, vel alius? Si ille; est idem quaestionis status, quem posuerunt Avanzini, Viscosi, et ceteri craniotomistae; si alius, faveat illum proponere, ut et ceteri cognoscant verum quaestionis statum. Deinde , verus quaestionis status nonne ille est, quem Epitomator in conclusione recensuit? at status ille est prorsus communis. Demum affirmat, Epitomatorem ad proposita dubia respondisse ad tramites dissertationis a iuvene ad resolvendum casum deputato peractae. Petimus: respondit iisdem, vel solidioribus argumentis? Si iisdem, lectores iudicent, utrum solida fuerint; si solidioribus, quare ab cl. Eschbach allata non fuere? Ipse vero emphasi quadam et verborum apparatu utitur in adducenda allata casus

Lectores nostri intelligunt profecto, in citatis praeclarissimi Censoris verbis, si zelum excipiant, nullum reperiri argumentum, nullamque contra Craniotomiae liceitatem rationem. Equidem affirmat, craniotomiam ex materialismi placitis descendere; at vere? Num ex materialismi placitis descendebat operatio embryotomica, de qua Tertullianus loquitur? Num materialismi placitum est unum subvenire, ne uterque pereat iis in circumstantiis, quae casum nostrum circumstant? Et argumenta quae ab craniotomiae defensoribus afferuntur sunt ne materialismi placita? Chirurgi autem qui hanc operationem exercent, omnes ne sunt materialistae, vel nullius conscientiae viri? Et ex quo aliqua doctrina sit nova, sequitur ne eam ex materialismo profluere? Haec insuper doctrina est ne nova? Nonne Ecclesia a Tertulliani tempore ad nos, numquam eiusmodi chirurgicam operationem damnavit? Qua autem de causa non damnavit, dum e contra damnavit sexcenties abortum? Credibile ne est Ecclesiae praesules, ipsosque Romanos Pontifices numquam detexisse, craniotomiam ex materialismo derivare? Quid; quod S. Poenitentiaria anno 1869 de re interrogata, respondit: *consulat probatos auctores?* Sacra Poenitentiaria igitur nullimode cognoverat craniotomicam operationem ex materialismi placitis descendere. Deinde, etiam ante Tertulliani tempora, ideo craniotomia inducta fuit, ut matris vita salvaretur, atque haec est unica ratio inductae operationis; at eiusmodi ratio quid commune habet cum materialisticis doctrinis? Nonne consistit etiam cum catholicorum theologorum sententiis? Quo igitur iure Avanzini in crimen vocatum fuit quasi recesserit ab antiqua traditione theologica? Ubi, et in quibus canonibus, vel libris, eiusmodi theologica traditio circa craniotomiae illiceitatem reperitur? Si igitur, nisi tamen nos fallat opinio, ab cl. Censoris apostrophe zelum (opportunum vel inopportunum non quaerimus) demamus, quantum ad rationes attinet, rationibus carere eam reperimus.

Porro theologorum in re consensus, ut ipse supponit, et casus moralis exposita resolutio sunt duo argumenta positiva quae in suo opusculo cl. Alphonsus Eschbach inducit ad excludendam embryotomiae liceitatem. In reliquis totus est in refutandis argumentis adversariorum.

Atque primo loco aggreditur Petrum Avanzini, argumentumque ex eo petitum quod infans hu-

moralis resolutione, etiam ob auctoritatem doctissimorum Sacerdotum, qui Congregationem illam componunt. Etiam nos praestantissimos viros veneramur; attamen ad admittendam vel excludendam sententiam aliquam non tam personis, quam argumentorum vi attendendum est.

iusmodi amiserit ius vitae, et unicum ius quod ei supersit, sit ius eligendi modum moriendi; quod de cetero ius exercere non potest cum damno vitae alienae, multoque minus cum damno maternae vitae. Cum enim ipse sit causa mortis matris, nulloque modo vivere possit, sive vivente, sive moriente matre, nullo pariter modo redditur peior eius conditio dum occiditur, et e contra melior redditur conditio matris. Id Avanzini evidens esse existimat.

Verum cl. Eschbach postquam animadverterit, ab Avanzinio propositionem non fuisse probatam, subdit, christianis doctrinis alienum esse cuiquam vitam reliquam eripere, quod sit brevi moriturus, multo minus foetui permissum esse genus mortis eligere. Saul brevi ob acceptum lethale vulnus moriturus erat, et infra inimicorum manus prolapsurus, num exinde vitam sibi eripere licitum ei fuit? Et nonne David Amalecitam uti regicidam iudicavit punivitque? Nauta quidam insuper in naviculam hominem recipit, at intumescente pelago uterque periclitatur. Num ne licitum erit nautae receptum hominem interficere, quod videat se una cum eo esse brevi periturum? Nequaquam. Attamen idem casus in craniotomia occurrit.

In primis observamus, Avanzini sententiam in hoc consistere, quod cum infans necessario moriturus sit, nullum ius habeat reliquum vitae protrahendi cum morte matris; velint, nolint adversarii, in id Avanzini sententia recidit, ut patet ex declarato quaestionis statu *Acta S. Sedis Vol. VII pag. 517.*« Utrum infans in ea conditione instantis mortis ius habeat perimendi cum sua morte matrem.» At ad eiusmodi sententiam repellendam apta esse allegata exempla non possunt. Saulis enim vita, ut observat Viscosi, nulli praeiudicium inferebat, non erat scilicet causa, ob quam alius vitam perderet: hinc Saulis occisio iniusta plane fuit. Quid autem si ipse in periculum efficienter vocasset Amalecitae vitam? num ne hic habendus uti regicida fuisset? Atque hinc neque in sensu iuris, quod infanti Avanzini tribuit, eligendi modum moriendi, potest allegari Saulis exemplum. Etenim Avanzini ideo tribuere videtur infanti ius eligendi modum moriendi sine morte matris, quia si ei aliud ius tribueretur, eligendi scilicet medium quod cum se ipso simul matrem interimat, matri mortem inferret; consequenter ius irrationabile et inhumanum ei concederetur. At Saul cui damnum irrogabat? non poterat igitur ei competere ius sese interficiendi, vel Amalecitae brachium invocandi. Cl. Eschbach factum in abstracto considerat, quod nulli scilicet, quamvis brevi moriturus sit, competat ius vitam sibi adimendi. Quod quidem concedimus. At quid ad rem? Quandoquidem in concreto illi Avanzini ius adimit protrahendi

vitam, qui est alterius mortis causa, quod de Saule dici non potest.

Pariter homo a nauta in naviculam receptus non est causa periculi in quo utriusque vita versatur, sed fluctus intumescentes. Nullo igitur pacto illum interimere potest, ut vitam suam servet. At si homo receptus causam poneret ob quam nautae vita in periculum vocaretur, num ne hic homicida esset, si se illo expediret?

Verum hoc in exemplo Clar. Eschbach instaurare fortasse argumentum se posse putabit, affirmando, collectum in navicula hominem causam esse alterius ruinae; cum enim nauta se illo expedivisset, incolumis evasit; ergo ipse erat proxima causa ob quam uterque periclitabatur. Si licet igitur infantem in utero matris occidere, quod sit causa efficiens proxima illius mortis, licebit et nautae collectum hominem utcumque perdere.

Attamen falsum esse videtur, hominem receptum in navicula esse causam proximam efficientem suborti periculi. Causa efficiens proxima, scribit doctissimus Cardinalis Zigliara, *illa est quae immediate influit effectum,* ut ignis stipulam comburens. Causa remota illa dicitur, *quae mediante alia, vel aliis causis in quam vel quas influit, producit effectum;* ut cor, sanguine mediante, in omnia membra corporis calorem influit. *Summa Philosophica Tom. 1. pag. 504. Edit. 1877.* Inter conditiones autem requisitas ad rationem causae, *secunda est, ut effectus realiter a causa dependeat;* a causa enim et a sola causa effectus producitur, et consequenter *esse* effectus, ut effectus, necessario pendet a causa. *Ibid. pag. 492.*

Atqui homo in naviculam receptus immediate non influit in naviculae periculum, et ad summum remote. Revera si homo receptus immediate in eiusmodi periculum influeret, numquam navicula sine huiusmodi periculo esse debuerat; quandoquidem posita causa efficiente et ad agendum apta, effectus producitur, at cum homo in naviculam ab nauta receptus fuit, nullum periculum illa subibat; quod deinde ob exortam procellam supervenit; non ergo homo est causa efficiens proxima imminentis periculi, sed procella; nonne enim causa proxima illa est, *qua posita ponitur effectus, qua remota, removetur effectus?* Atqui dum mare quiesceret, nullum naviculae periculum ob collectum hominem imminebat; exorta procella, periculum illud subortum est, si fluctus quiescant, iterum periculum cessabit: ergo procella est vere et unica causa proxima imminentis periculi, non receptus homo, qui tantum remota causa ad summum dici poterit. Huiusmodi hinc homo a nauta nullo pacto occidi poterat, cum ipsius periculi causa proxima non esset. At in embryotomia infans est causa proxima et unica maternae mortis, ita

ut non occiso foetu, mater moriatur, eo occiso, mater vivat; ergo inter adductum exemplum, et casum nostrum paritas deficit.

Neque Eschbach subsumat, post hominem occisum, vel in mare proiectum, nautam salvum factum; e contra periturum fuisse, nisi illo sese expedivisset; id enim minime demonstrat hominem receptum causam proximam constituisse periculi, sed ad summum causam remotam, vel partialem, naviculam autem ob remotionem ponderis modificationem passam esse; numquid post remotionem hominis, navicula quietem patitur? nonne undequaque fluctibus agitatur? nonne submersionis periculo adhuc impetitur? Paucis: nonne eadem perdurat causa, quae naviculam in submersionis periculum vocavit? Quod igitur nauta solus tandem incolumis evaserit, non homini occiso tanquam remotioni causae proximae tribuendum est, sed conditionibus immutatis naviculae. Ea igitur quae praestantissimus seminarii Gallici Rector contra Avanzinium intulit, admodum solida non videntur.

Perpendamus hinc an solidiora sint quae pronuntiavit contra Stephanum Apicella circa argumentum *ex iurium collisione petitum.*

A principio ingenue fatemur, contra collisionem iurium in casu nullum a cl. Eschbach prolatum fuisse argumentum, nullum prorsus; quae vero scripsit nullius esse ponderis. Quod ut Lectoribus nostris demonstremus.

Ad excludendam eiusmodi iurium collisionem *op. cit. pag. 63,* utitur primo loco auctoritate Professoris Venturoli, qui ita loquitur: « Non intendimus ingredi eiusmodi quaestionem *de collisione iurium...* primo quia perspicue non videmus quomodo casui applicari possit. Nos in foetu consideramus tantummodo humanam creaturam, quae ob statutum naturae ordinem, erit futura eiusdem nostrae speciei, ut scilicet in lucem prodeat, evolvatur, perficiatur, in societate constituatur et vivat, atque ita consequatur ultimum finem ad quem a Deo creata fuit. » (1)

At primo quaerimus; utrum ex quo Professor Venturoli satis clare non perspexerit, quomodo argumentum collisionis iurium possit casui nostro applicari, matris inter et vitam foetus in casu nulla adsit reapse iurium collisio? Profecto non sequitur; imo contrarium aliquo modo sequitur; si enim satis clare non perspexit, ergo aliquo modo,

(1) Non intendiamo di entrare in questo ginepraio della teoria *della collisione dei diritti* . . . primieramente, perchè non vediamo molto chiaramente che quella teoria possa venire applicata al conflitto tra la vita della madre in *soprapparto* e quella del figlio nascitivo. Noi nel feto nascente non vediamo che una creatura umana posta da natura in uno stato di essere della medesima nostra specie, di uscire alla luce, svilupparsi, perfezionarsi, vivere in società, e tendere così al suo ultimo fine pel quale fu da Dio creata.

subobscure scilicet, perspexit eiusmodi iurium collisionem inter vitam matris et foetus posse applicari, vel intercedere.

2. Si ex quo Prof. Venturoli eiusmodi iurium collisionem satis clare non perspexerit, sequeretur eam in casu non existere, profecto ex quo alii illam perspexerunt contrarium sequeretur.

3. Verum ne est, foetum in casu nasciturum esse, et ad illam perfectionem venturum qua coeteri? Nonne eiusmodi assertio est contra statum quaestionis positae etiam ab ipso Eschbach?

4. Si autem in abstracto casum Professor Venturoli, et cum ipso citatus auctor considerarunt; ex quo foetus ad praedicta assequenda destinatus sit, sequitur ne exinde, non dari iurium collisionem inter matris vitam, et vitam foetus? Si enim id sequeretur, sequeretur pariter, nullam inter homines dari posse iurium collisionem, quia in abstracto considerati omnes ad praedicta consequenda a Deo auctore naturae destinantur.

Auctoritas igitur Professoris Venturoli nulla est tum per se, tum ob ratiocinii defectum, per eamque R̃mus Alphonsus Eschbach nihil consequitur.

Perpendamus nunc, utrum felicior sit in refutandis rationibus ab Stephano Apicella adductis.

Porro absolute negat, citatos ab Apicella philosophos Taparelli, et Liberatore, allegata principia statuisse circa iura matrem inter et filium nondum natum existentia, sed generice, eaque applicasse ad ordinem rerum toto coelo diversum; hinc rationes ab illo adductas nihili faciendas esse, universumque eius opusculum et thesim nil aliud esse quam turpissimam principii petitionem. (1)

Ad haec licitum nobis sit observare 1. quod etiam S. Ambrosius notissimum effatum: *Si alteri subveniri non potest, nisi alter laedatur commodius est neutrum iuvari,* pronuntiarat de re toto coelo diversa. Attamen cl. Eschbach illo contra craniotomiam utitur; et quidem irrationabilius, cum facto con-

(1) Diciamo adunque che i filosofi accennati laddove stabiliscono il suddetto principio, parlano o in genere, ed in astratto, o applicando il loro detto ad un ordine di cose del tutto diverso dal nostro. Il che può vedersi nell'Apicella stesso il quale riferisce queste parole del ch. Vecchiotti. Urgente potiori iure ius aliud silere recte interpretamur. Ita potiori iure homo tenetur servare patriam quam depositum reddere petenti. Hinc non tenetur in hac circumstantia depositum reddere contra patriam, pag. 64.

Prima dunque di conchiudere nel senso dell' Apicella farebbe duopo provare che il detto generico principio dei filosofi valga anche pel caso di *peculiari indole,* di cui nel presente trattiamo. Fintantochè l' esimio avversario non abbia fatto questa prova ci sarà lecito di tenere la sua tesi, e tutto il suo opuscolo come una petizione di principio. *Pag. 65.*

creto S. Doctor effatum illud applicarit.

2. Observat cl. Auctor, praedictos philosophos loqui aut generice aut in abstracto cum allegatum ab Apicella principium statuunt. Sed principia nonne sunt generalia et abstracta? Et scientia quaelibet nonne innititur principiis generalibus et abstractis? Cum igitur citati scriptores iuris naturalis scientiam elucubrarent, necessario a principiis generalibus exordiri debuere. Sed quid inde? Nonne principia generalia inde existunt et statuuntur ut ea ad quaestiones, casusque particulares applicemus, atque ita veritatem detegamus? Ita ut si alicui particulari casui tale principium conveniat, iuxta principium illud resolvendus sit? Et ut exemplum ab ipso cl. Eschbach summo plausu exceptum allegemus, nonne iuvenis destinatus ad resolvendum casum moralem circa craniotomiam tria principia generalia allegavit, vel saltem allegare intendit? Et ne in re evidentissima prolixiores simus, nonne regularum partialium Syllogismi simplicis quarta est: *Aut semel, aut iterum medius generaliter esto?* Exinde vero nullum detrimentum pro regula octava: *Peiorem sequitur semper conclusio partem.*

Si igitur Stephanus Apicella generalia principia iuris naturalis quae de collisione iurium statuuntur, ad embryotomiam applicavit, usus est iure suo, fecitque quod homo logicus facere debuit, quodque viri sapientes semper fecerunt atque facturi erunt.

Hinc non intelligimus, quo criterio thesis et universum Apicellae opusculum laborare petitione principii dici possit. Committit petitionem principii qui thesim particularem probat principio generali?

Praetermittimus qua de causa ea quae subdit, citatos scilicet philosophos, et ipsum doctissimum Vecchiotti, inducta generalia principia applicasse ad casus particulares, qui nihil commune habent cum embryotomia. Ergo 1. ipsi praestantissimi scriptores ad casus particulares applicarunt principia generalia; de qua igitur re Apicella redarguitur? 2. dum ad casus particulares principia generalia applicarunt, exemplum aliquod ad rei declarationem inducere voluere; num exinde principia illa applicari collisioni iurium in craniotomia non poterunt, eo quod citati scriptores eiusmodi exemplum non allegaverint? Quid si allegassent? Profecto iuxta statutam ab adversario sententiam, principia illa rite applicata fuissent. Ergo hoc in casu ex principiis illis generalibus collisio iurium in embryotomia iure probata fuisset. Quid si alios allegassent casus particulares, iis praetermissis quos allegarunt? Profecto et ad hos casus dirimendos allegata principia valuissent? Quod si in re insistere vellemus, illud ex adducta distinctione se-

queretur, generalia principia pro iis tantum particularibus casibus valere, qui in exemplum ab auctoribus adducuntur. Quod admitti ne potest?

Ut autem ad quaestionem redeamus. Cl. Eschbach tum aliquid assecutus fuisset, si probasset, in casu nullam dari iurium collisionem, consequenter perperam allegata iuris naturalis principia inducta fuisse; verum id nullo argumento probavit. Dat autem, quamvis non concedat, pugnam eiusmodi *singularis indolis esse;* ideoque ad rem adducit cit. Doctoris Naegele sententiam: *Pugna iurium matris et foetus peculiaris est indolis.* pag. 65.

Quid ergo? Admittit ne Adversarius eximius eiusmodi sententiam? Si admittit, fateatur oportet, quamvis peculiaris indolis, pugnam tamen et collisionem iurium intercedere matrem inter et filium in casu. Eiusmodi autem collisio peculiaris indolis quibus principiis vel demonstrabitur, vel impugnabitur? Non principiis generalibus ab Stephano Apicella adductis, quae gratis omnino in praesenti casu adversarius repudiat; ergo cum ad affirmantem spectet probatio, atque non Stephanus Apicella, sed Alphonsus Eschbach affirmaverit, vel saltem dederit, eiusmodi collisionem peculiaris esse indolis, collisiones vero indolis singularis singularibus principiis esse dirimendas; (1) non ad Stephanum Apicella, sed ad Rmum Alphonsum Eschbach pertinebat eiusmodi singularia principia proponere, ut inde inferret principia generalia ad praesentem quaestionem perperam ab Apicella applicata fuisse. At feret punctum adversarius doctissimus, si eiusmodi singularia principia, quibus collisio iurium in casu demonstratur, excogitare aut proferre valebit; universi propemodum ei gratulabuntur, nosque eum instantissime deprecamur ut illa proferat, sicque tenebras, quibus nos obvolvimur, illuminet. Observare autem praetermittimus, quod ex quo *pugna iurium matris et foetus peculiaris sit indolis,* non sequatur eam principiis generalibus dirimi non posse.

Prorsus vero non concedimus, ab Stephano Apicella non fuisse iuridice et logice generalia principia iam allegata praesenti quaestioni applicata; de qua re suadere sibi lectores poterunt vel Apicellae opusculum legendo, vel ea saltem quae nos ex opusculo summatim retulimus; tum praesertim ex eo quod cl. Alphonsus argumentationem Stephani nullo modo infringere valuit.

Absolute pariter negamus, hac in re dimetiri ius ad existentiam ex vigore aut debilitate musculorum, (2) sed affirmamus dimetiri

(1) Prima dunque di conchiudere nel senso dell' Apicella, farebbe duopo provare, che il detto generico principio dei filosofi, valga anche pel caso di *peculiari indole,* di cui nel presente trattiamo pag. 65.

(2) Sia! ripetiamo, ma a nome di qual filosofia vorrebbe misurarsi il diritto

prorsus ex eo quod foetus nondum natus, numquam nasciturus, et certe moriturus mortem inferat matri, cuius iura in casu praevalere, nemo rationabiliter negabit, quaeque de cetero ideo concepit, quod speraret se filium esse parituram, non mortem sibi procuraturam. Sed de iurium praevalentia inferius redibit sermo. Interea concludimus, argumentum ex iurium collisione petitum adhuc stare, aliasque rationes ad illud elidendum necessarias esse. (1)

Pag. 66. cl. Eschbach ad examen ea revocat quae Daniel Viscosi circa directum et indirectum humanarum actionum disputat; atque lectorem remittens ad id quod pag. 39 opusculi sui disseruerat, impellit contra sententiam a Viscosi propugnatam, quod scilicet occisio craniotomica sit indirecta, auctoritatem eruditi Scriptoris Ephemeridis *La Voce della Verità* qui scripsit: Norunt omnes ***homicidium directum*** haberi quoties scienter et libere media adhibentur ad hominem occidendum apta, quamvis adhibeantur ea voluntate quam Theologiae moralis Tractactores vocant *secundum quid.* ***Homicidium indirectum*** autem est illud quod committitur praeter intentionem, immo contra intentionem agentis, qui reperitur in legitima necessitate adhibendi, ad propria iura tuenda, media ex quibus aliquando necessario consequitur homicidium. (2)

Atqui negandum non est, Chi-

all'esistenza, dal vigore o dalla robustezza dei muscoli? Eiusmodi autem verba ab cl. Adversario prolata esse suspicamur; at ex libri lectione evidenter, virgularum appositarum causa, non deprehenditur.

(1) Cl. Eschbach postquam pag. 63. retulerit sequens Doctoris Naegelis testimonium. « Hoc in universum statuendum est: ubicumque inter leges naturae eiusmodi pugna locum habet, ut is, cuius iura innata impugnentur, iura sua hoc tantum modo servare possit ut aliorum iura laedat, adest casus necessitatis, in quo iuris norma locum habet: lex civitatis excusat laesionem in eiusmodi casu illatam. . . . . matrem esse in casu necessitatis, eamque, si matris et infantis iura sibi repugnant, ut vitam suam servet, foetus occidendi ius habere. » Ad quae cl. adversarius: « Hoc eodem sensu ratiocinantur omnes moderni medici rationalistae et materialistae: Atqui, pace clar. adversarii dictum sit, ratiocinium conclusum ab initio ad apposita usque puncta, non tantum rationalistarum et materialistarum est, sed etiam omnium philosophorum, theologorum, et iurisperitorum catholicorum, eiusque veritas nullo argumento elidi potest; illudque ipse adversarius strenue defenderet, si aliquis ipsius ad propriam vitam iura laederet; subsequentia verba applicationem continent expositi principii ad factum singulare. Falsa ne est applicatio? Id argumento aliquo praestantissimus adversarius demonstret. Interea ex hoc ipso etiam patet, quod tamen cl. Viscosi observarat, non omnia principia ab materialistis exposita, materialismum redolere, aut esse falsa; nos autem nescimus, an Doctor Naegele sit materialista aut rationalista. Eum adversarius vocat *pag. 11. celebrem doctorem:* et gratulamur.

(2) Tutti sanno che omicidio diretto vi ha ogniqualvolta scientemente e li-

rurgum operationem craniotomicam exercentem, contra propriam intentionem foetum in utero matris interficere; si enim aliter salvare matrem posset, infanti mortem non inferret; hinc reperitur in legitima necessitate adhibendi, ad matris iura salvanda, media ex quibus necessario consequitur foetus occisio.

Dicturus ne erit praeclarissimus Scriptor, Chirurgi necessitatem non esse legitimam? At antequam id affirmet, probare debet et non praevalere iura matris, et ex parte foetus nullam esse aggressionem, eaque omnia argumenta elidere, quae pro craniotomiae liceitate adducuntur.

Attamen quamvis circa indirectum vel directum humanarum actionum errasset Viscosi, quod nos non quaerimus, falsumque esset, eas ex intentione et fine dirigi, quod etiam cl. Avanzini affirmavit, nihil adversarius proficeret, cum embryotomiae defensores semper affirmare possent, in craniotomia occisionem foetus ita se habere, quomodo se habet occisio aggressoris, pueri per viam a fugiente proculcati, innocentium in urbe obsessorum; neque deesse theologos qui affirment, aggressorem propriae vitae etiam directe occidi posse. Cum autem horum occisio sit licita, illicita profecto non erit occisio foetus in casu, cum eodem modo se habeat, sit demum directa, vel indirecta.

Pag. 69 praestantissimus Gallici Seminarii Rector profligare conatur ea quae Viscosi profert de iniusta aggressione materiali foetus contra matris vitam.

Antea ingenue fatemur, solidius fortasse prae ceteris, eiusmodi argumentum a Daniele Viscosi evolutum fuisse, nihilque ab eo praetermissum ut eius veritas patesceret.

Attamen clarissimus Adversarius illud impugnat 1. auctoritate citati Scriptoris Ephemeridis *La Voce della Verità,* qui scribit: Impossibilitas nascendi est ne aggressio vel tentatum homicidium? Talia proponere, eorumque absurditatem videre unum idemque est. (1)

Mirum profecto, ut talia proponere eorumque absurditatem videre unum idemque sit, et tamen tot tantaeque notae theologi, ipsis

beramente si adoprano mezzi che per sè valgono ad estinguere un uomo, poniamo pure che talvolta si adoprino con quella volontà che i moralisti chiamano *secundum quid*. L'omicidio indiretto è poi quello che si commette *praeter intentionem*, anzi contro l'intenzione dell'agente, il quale si trova nella legittima necessità di adoprare a tutela dei suoi diritti, mezzi di cui può essere, ed è talvolta *conseguenza necessaria* l'omicidio.

Relatum autem nobis fuit, hunc eruditum Scriptorem esse ipsum Revmum Eschbach; quod si verum est, e numero adversariorum craniotomiae unus est expungendus.

(1) L'impossibilità di venire alla luce è dunque un'aggressione, un tentato omicidio? Basta proporre tali cose per vederne l'assurdità. *Eschbach pag. 69.*

Tertulliano et S. Alphonso non exceptis, aggressionem eiusmodi admiserint, ut ex allegatis textibus patet! Mirabilius autem quod admiserint aggressionem huiusmodi in foetu nondum efformato! at multo magis admittendam esse in foetu efformato, clarissimus scriptor non negabit.

Deinde Daniel Viscosi, et ante eum doctissimus Avanzini numquam propugnarunt aggressionem eiusmodi formalem esse, sed materialem, quatenus scilicet infans, quamvis rationis expers, laedit iura matris, et ei necessario mortem infert. Est ergo causa maternae mortis. Atqui certum est, posse quemquam repellere aggressionem materialiter iniustam, ex. gr. ab ebrio, ab mentecapto illatam, etiam aggressoris occisione.

Qua ergo de causa idipsum matri non licébit? Interea iura clamant: *Quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit,* iure *fecisse existimatur* L. 3 de iust. et iure. Et *adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere,* L. 4 ad L. Aquil.

Probanda hinc non videntur ea quae subdit citatus Scriptor : « Insuper defensio concipi non potest » sine offensione, et quidquid dictum sit vel dicatur, numquam » probabitur iniustus aggressor ille » qui vivit vita illa, quam recepit » ab ea quae in casu uti aggressa » traducitur. » (1)

Probanda haec, inquam, non videntur, si scriptor affirmet, non posse dari defensionem sine offensione formaliter iniusta.

Putamus fore ut praeclarissimus scriptor strenue se defenderet, occisione etiam aggressorum, si mentecaptus vel ebrius ipsum aggrederentur; et quod ipse facturus esset, alii quoque et fecerunt, et facturi erunt. Attamen offensio haec et aggressio esset tantum materialiter iniusta.

Alterum autem orationis membrum nimis probare videtur. Ex quo enim quis ea vita vivat, quam a matre accepit, sequitur ne eum numquam esse posse matris aggressorem sive materialiter sive formaliter iniustum, et numquam a matre posse occidi? Concedimus autem foetum ea vita vivere, quam a matre accepit; sed concedendum pariter est eum non accepisse vitam ut matri mortem inferret; attamen infert; quandoquidem occiso foetu, vivit mater, non e contra.

Haec autem observamus, ut iis obviam eamus quae subdit Eschbach, a matre scilicet esse repetendam aggressionem, non a foetu.

Arbitramur post haec, Danielem Viscosi vere et optime concludere

(1) « Inoltre la difesa non può concepirsi quando non vi sia offesa, e checchè » siasi detto e si dica, non potrà provarsi mai che sia ingiusto aggressore, chi » non fa altro che vivere di quella vita, che ha ricevuto da quella stessa che nel » caso sarebbe l'aggredita. *Apud Eschbach pag. 70.*

dum *pag.* 288 scribit: « Etiam cum » mater ob aliquem phisicum de- » fectum parere non potest, filius non » habet ius vivendi cum morte ma- » tris, tum quia ipsius vita possi- » det ante vitam filii; tum quia » dando vitam suam pro filio, hic » moriturus erit; tum quia vita » matris pretiosior est pro familia, » et societate.» (1)

Attamen eiusmodi conclusio cl. Eschbach non placuit, et ut evidentius diluat, illam ad formam syllogisticam ita prius reducit: In casu mater habet ius occidendi filium si constat 1. quod ipsa possidebat vitam ante filium; 2. quod etiam moriendo, nullo modo subvenire potest filio; 3. si vita eius pretiosior sit vita filii. Atqui etc. (2)

Postea respondet, *negando maiorem,* quia ad affirmantem spectat probatio, contendit scilicet, quod etiam concesso terno propositionis maioris membro, non sequatur matri ius inesse foetum occidendi.

Relate ad minorem concedit primam partem; qua concessa illico sequitur: *ergo melior est conditio possidentis; et prior tempore potior iure.* Et cum in casu agatur de iure ad vitam, si eiusmodi ius aliquis superveniens laedat etiam materialiter, et aliter iniuria propulsari nequeat nisi cum eius morte, iniustum occisorem proclamabimus? quandoquidem cum melior sit conditio possidentis, hic utitur iure suo in eo repellendo qui vitam suam invadit, quomodo iure suo utitur qui supervenientem repellit a possessione domus vel agri quem possidet. Cum itaque foetus superveniens matri mortem inferat, eamque vita, quam possidet, et quam conservare tenetur, expoliet, non videtur esse matri illicitum si, quando aliter se tueri non potest, foetui mortem inferat, vel occidi permittat. Quisque enim tantam repulsionis vim adhibere potest, quanta ei infertur. Si contrarium dicamus, conditio possidentis melior non est, sed e contra melior erit conditio supervenientis.

Utique dicturus erit cl. Adver-

(1) « Anche quando la madre per difetto fisico non può dar libera uscita al » suo parto senza perire, il figlio non ha il diritto di voler vivere colla morte » della madre sua; sì perchè questa trovasi nel possesso antecedentemente alla » vita del figlio ; sì perchè anche sacrificando la vita sua , non gioverebbe per » nulla alla vita del figlio; sì perchè per la famiglia e per la società la vita della » madre è più preziosa di quella del figlio. *Pag. 288.*

(2) Nel caso di che si tratta, la madre ha il diritto di traforare il capo al suo caro figliuolo se consta 1. che essa stava in possesso della vita prima di lui. 2. che anche sacrificando la vita sua non gioverebbe per nulla alla vita del figlio. 3. che la vita sua è più preziosa di quella del figliuolo.

Ora veramente constano queste tre condizioni. Dunque ecc.

Rispondo *negando la maggiore.*

Tocca all'avversario di provarla, e ciò che gratuitamente si asserisce, gratuitamente si nega. *pag. 71.*

sarius, quod etiam foetus vitam possidet, et quidem ab auctore naturae. Esto. Sed possidet ne ut matri mortem inferat? possidet ante matrem? Et nonne etiam mater habet vitam ab auctore naturae? Unum ergo urgeri tantum posset; velle scilicet Deum ut tum mater, tum foetus moriantur. Id vero unde probabit adversarius? At si probaturus sit, manus dbimus victas. Interea animadvertimus, hac in difficultate iterum argumentum de iurium collisione recurrere, quod elisum non fuit.

Distinguit autem ita alteram partem: Mater sacrificans vitam suam *fortasse* non prodesset vitae filii conc. *certo* non prodesset neg. quia in casu concreto posset contrarium accidere, filius enim potest matri superesse, et mediante operatione caesarea in lucem prodire. (1)

Attamen 1. supponitur filius post matrem moriturus. 2. Supponitur mater teneri ad servandam prolem cum certitudine suae mortis. 3. Supponitur ad id teneri etiam in dubio an filius supersit. 4. Supponitur ad id teneri dum casus frequentiores demonstrant foetus ante matres in utero extingui. Atqui haec omnia, ut parum dicamus, incerta valde et disputabilia sunt. Sed 5. supponitur filius superesse matri contra quaestionis statum. Etenim ipse praeclarissimus Eschbach pag. 8 ita quaestionem posuit. « Tandem impossibi-
» litati peragendi operationem cae-
» saream coniungi aliquando potest
» probabilitas, aut certitudo mo-
» ralis, ut si natura sibimetipsi di-
» mittatur, filius moriturus sit eo
» temporis momento quo mater
» moritur... Haec est unica hypo-
» thesis, quam nos in praesenti
» dissertatione admittimus.» (2)

At si filius moriturus est saltem dum mater moritur, ad quid operatio caesarea? ad extraendum ne cadaver? Certo igitur mater vitae suae sacrificio non prodesset vitae filii. Inducta igitur distinctio est contra quaestionis statum, consequenter *nulla*. Ipse deinceps Viscosi eumdem statum proposuerat *pag.* 26. «Operationi craniotomicae
»deveniendum non esse, nisi in ex-
»trema necessitate, quae permittat
»salvare matrem foetus occisione;sin
»minus mater et filius moriantur.»(3)

Eodem modo distinguit tertiam

(1) Distinguiamo la seconda: cioè sacrificando la vita della madre non gioverebbe *forse* alla vita del figlio, *concedo;* per certo non gioverebbe, *nego*, perchè nel concreto può accadere il contrario. Il figlio può sopravvivere alla madre, e per l'operazione cesarea venire alla luce.

(2) Alla impossibilità di fare con successo l'operazione cesarea può talora associarsi una probabilità o certezza morale, che, lasciando a se stessa la natura, la vita del figlio non si estinguerà che al momento stesso, in cui l'ora suprema sarà scoccata per la madre . . . . Ella è questa perciò l'unica ipotesi che noi ammettiamo nella presente discussione.

(3) Che alla operazione non si debba venire, se non sotto l'impulso di una

minoris partem, cum menti humanae impossibile sit definire cuiusnam pretiosior sit vita, matris an filii, cum filius possit temporis lapsu praeclarus homo fieri, sanctus fortasse, atque etiam stipes generationis hominum excellentium etc. (1)

At non ita videtur vir praeclarissime. Quomodo enim fieri potest ut infans huiusmodi crescat fortasse in magnum virum, sanctum, in stipitem praeclarissimorum hominum, si iuxta quaestionis statum a te et ab adversario tuo admissum, una cum matre moriturus est? Omnes ergo norunt numquam tantam sortem felicitatemque fore consecuturum.

Quomodo autem humanae menti impossibile est definire utrius vita pretiosor sit? Potest ne in dubium revocari vitam matris pretiosorem esse vita foetus quem in utero gerit? Si aliud tibi non suppetit argumentum, interroga patres omnes, omnesque maritos, qui odio suas uxores non habeant, et audies quid eligant. Quomodo pater eligere poterit ut moriatur mater, quando filius numquam, iuxta thesim a te positam, nasciturus erit? quomodo igitur huius vita pretiosior esse vita matris poterit? Et praetermittimus ceteras relationes matris cum familia, cum societate etc. Si quid intelligimus tu comparas eum actuali pretio vitae matris pretium vitae filii postquam excreverit in magnum virum, in sanctum, in stipitem etc.

Sed pretium vitae foetus comparandum est cum pretio maternae vitae eo in statu, in quo versantur in casu. At in hoc statu quis non intelligit vitam matris pretiosiorem esse vita filii? Profecto S. Raimundus Nonnatus postquam illam sanctitatem assecutus est, quam Ecclesia reveretur, et celebrat, pretiosior matre erat. At pretiosior ne erat vita eius prae matris vita dum haec illum in utero gestabat? Prolatae hinc distinctiones extra quaestionem vagantur, et nullum detrimentum inferunt illationi et sententiae a Daniele Viscosi prolatae.

7. Assentimur autem cl. Eschbach in iis quae disputat contra distinctionem inter *actionem occisivam et extractivam* ab praestantissimo Viscosi inductam. Chirurgi enim actio distincta omnino est, ita ut prius occidat infantem, deinde illum extrahat.

necessità prepotente, la quale non dia altro luogo a scegliere, salvo che la vita della madre con la morte del bambino solo, o la morte inevitabile di entrambi.

(1) Distinguiamo nello stesso senso la terza parte della minore, essendo affatto impossibile ad una mente umana di definire quale delle due vite sia più preziosa dell'altra. Chi potrebbe dire che salvo quel feto non sia per diventare col tempo un grande uomo, forse un santo, od anche lo stipite di una lunga generazione di uomini illustri e benefici per la società?

Exinde tamen nihil contra thesim ab eo propugnatam. Quaestio enim est: an liceat interficere in casu foetum ut mater a certa morte servetur? Admisso autem quod in casu licitum sit foetum occidere, necessario extrahendus est ne mater pereat; nulla autem culpa est foetum mortuum utero matris extrahere: actio hinc extractiva neque ingreditur quaestionis statum.

Reliqua quae doctus Alphonsus Eschbach profert circa Scholasticorum consensum pericula, societati imminentia ex usu craniotomiae, materialismi progressum etc. adeo solide a Daniele Viscosi atque a Petro Avanzini refutata reperiuntur, ut lectores ad horum opera remittamus.

His autem nostrae disputationi finem imponere potuissemus. Contigit tamen dum illam scriberemus, ut etiam ea legeremus quae Alexander Ciolli doctus Presbyter Florentinus contra embryotomiae liceitatem scripsit in suo recentissimo et erudito Volumine *Direttorio Pratico del Confessore novello pag. 518 Edit. 1883.*

1.° Primum impugnare et refutare aggreditur argumentum, quo tum Avanzinius, tum Viscosi adstruunt, occisionem infantis in casu non esse *directam*. Atque ad rem adducit sententiam cl. Ballerinii in adnotationibus ad Theologiam Moralem Patris Gury *Tom. 1. pag. 403,* scilicet: « Ut licite possis causam ponere mortis, oportet ut occisio neque ut *finem* intendas, neque assumas ut *medium ad alium finem,* quia utroque modo directe eam velles; sed tantum indirecte eam inferas, ponendo scilicet causam ipsiusmet mortis, non propter coniunctionem quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet aeque immediatam cum alio effectu; atqui per embryotomiam, ita Alexander Ciolli, occisio infantis intenditur ut medium ad alium finem, scilicet ad salvandam matrem; ergo est occisio directa ».

Prosequitur: « Occisio indirecta innocentis, ut ait S. Thomas, tunc solum habetur, quando unius actus sunt duo effectus, quorum alter solum sit in intentione (directe), alter vero praeter intentionem, cum sit per accidens (indirecte). Atqui per embryotomiam primo ictu occiditur directe infans, quin per hoc levamen aliquod afferatur matri (quod sedulo considerandum est) et dein extrahitur per forcipem cadaver, ex qua solum eductione vita matris salvatur. Unde iterum manifestum est, quod occisio innocentis est in hoc casu directa, vel per se, tanquam medium licet mediatum (nam immediatum est eductio cadaveris) ad salvandam matrem. Ergo est prorsus illicita ».

Quamvis hisce ab clarissimo Viscosi responsum fuerit, nonnulla tamen liceat nobis addere ad maiorem argumenti demonstrationem.

Et 1.° Quamvis occisio foetus esset directa, exinde tamen nihil sequeretur contra craniotomiae liceitatem; non enim ex hoc tantummodo argumento illa adstruitur, sed ex ceteris omnibus quae eius defensores in medium proferunt, quorum si unum tantum firmum sit atque verum, stabit craniotomistarum thesis. In eius igitur evolutione non una tantum ratio, sive argumentum considerandum est, sed omnia quae ad thesim probandam afferuntur; norunt enim omnes, aliquando uno vel alio argumento demonstrationem non confici, simul coniunctis utique; necessarium igitur est ut adversarii falsa demonstrent argumenta omnia quae pro craniotomia afferuntur; si unum vel aliud, nihil effecturi erunt. At eos falsa demonstrasse argumenta omnia a defensoribus craniotomiae allata, nobis saltem non apparet.

2.° Post haec ratiocinio allato directe respondeamus. Imprimis non intelligimus quomodo ex adducto cl. Ballerinii ratiocinio craniotomiae liceitas excludatur, et ipse Ballerinius illam admiserit, non post multas paginas, ita ut eorum quae fuerat ratiocinatus, oblitus dici possit, sed post paucas lineas.

3.° Multo minus intelligimus, quomodo ex eodem ratiocinio directa foetus occisio adstruatur ab Alexandro Ciolli, quando indirecta tantummodo sequatur. Revera Ballerinius scribit: *Ut licite possis causam ponere mortis*, usque *cum alio effectu.*

Atqui, argumentatur Ciolli, per embryotomiam occisio infantis intenditur ut medium ad alium finem, scilicet ad salvandam matrem. Ergo est occisio directa.

Profecto eiusmodi minor falsa omnino est tum relate ad principium a cl. Ballerinio positum, tum in se. Ballerinius enim affirmat, posse poni causam mortis alicuius, non propter coniunctionem quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem quam habet *aeque immediatam,* cum alio effectu; ex quo deducitur evidentissime, non ad actum materialem tantum Ballerinium respexisse, sed ad actum materialem a voluntate directum, ad causam scilicet quae duos effectus producat, foetus occisionem et matris sanitatem, quam eodem actu licet intendere, cum habeat coniunctionem aeque immediatam cum alio affectu, scilicet cum foetus occisione. Negari enim non potest matrem a morte servari per occisionem foetus, cum eius extractio ex utero necessario consequatur, et nullam inferat nec minimam culpam. Praesument ne, ut foetus ex utero matris vivus extrahatur? Sed hoc in casu nec occisio aliqua, nec craniotomicae necessitas operationis locum haberent.

Hinc minor Syllogismi a Ciolli inducta falsa deprehenditur, quia causa occisionis infantis non ponitur propter coniunctionem, quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem quam habet *aeque immediatam* cum alio effectu, scilicet cum matris sanitate. Conclusio igitur inferenda ex ratiocinio clar. Ballerinii est: *Ergo est occisio indirecta.* Quandoquidem cum occisio foetus et matris salus aeque coniungantur cum causa, et qui hanc ponit intendat unice, vel saltem principaliter, matris sanitatem, si Ciolli admittit Ballerinii principium, necessario ex eo consequitur, *foetus occisionem esse indirectam.*

Rectitudinem vero conclusionis evidentissime percepisset Ciolli si haec alia cl. Ballerinii verba considerasset: « Sic enim id agis atque intendis quatenus iunctum est cum effectu licite appetibili, non quatenus per accidens nexum est cum alio effectu, quem intendere non potes, licet possis eum ex iusta causa permittere ». Quae profecto verba doctissimi Ballerinii mentem apertissime declarant.

Cum vero praestantissimus Ciolli admittat clarissimi P. Ballerinii sententiam, videat, an defensores liceitatis craniotomiae ex posito et communi principio ita ratiocinia ducere possint. Iuxta principium a cl. Ballerinio positum, licet ponere causam occisionis foetus, non propter coniunctionem quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet cum alio effectu. Atqui in embryotomia causa occisionis foetus non ponitur propter coniunctionem quam eadem causa habet cum morte innocentis, sed solum propter coniunctionem, quam habet cum alio effectu. Ergo iuxta principium a cl. Bellarminio positum licet in casu ponere causam occisionis foetus. Principium a Ciolli admittitur; veritas minoris est certa, quia certum est, in embryotomia poni causam occisionis foetus ad matrem a certo periculo mortis eripiendam. Nullo igitur pacto negare consequentiam poterit.

Minor autem a defensoribus liceitatis craniotomiae ex principio cl. Ballerinii inducta verior est prae minori inducta a Ciollio: si enim absolute, ut hic facit, consideretur, nonne eodem argumento illicita probari posset occisio aggressoris iniusti, occisio pueri per viam proculcati ab fugiente hostem etc.? Quandoquidem eorum mors assumitur ut medium ad alium finem, scilicet ad propriam vitam salvandam. Minor hinc ab Ciolli ex principio cl. Ballerini inducta simpliciter esset falsa.

Eodem porro defectu peccat argumentum Ciolli ex sententia S. Thomae instructum. Quandoquidem ex relata Doctoris Angelici sententia: *Occisio directa innocen-*

tis etc., inducit hanc minorem: *Atqui per embryotomiam primo ictu occiditur directe infans, quin per hoc levamen aliquod afferatur matri, et dein extrahitur per forcipem cadaver, ex qua solum eductione vita matris salvatur.*

Quid ergo si minor assumenda esset haec alia? *Atqui craniotomici actus sunt duo effectus, quorum alter est in intentione,* scilicet matris sanitas, *alter vero nedum praeter intentionem, sed contra intentionem, quandoquidem si aliquo alio medio vita infantis salvari posset, salvaretur.* Conclusio igitur erit, non quam inducit Ciolli, sed haec alia. *Ergo iterum manifestum est, quod occisio innocentis est in hoc casu indirecta.*

Profecto S. Thomas loquitur de actu ab intentione directo ad id quod est licitum. Negare autem poterit ne Ciolli ab operante in casu intentionem dirigi ad matris sanitatem quae est finis? Nihil vero dicimus de eo quod subdit, matris scilicet vitam salvari per extractionem foetus; mater enim salvatur per occisionem foetus, cuius postea extractio sine ulla culpa necessario consequitur.

Non immoramur autem in iis refutandis, quae paullo post subdit cl. auctor in suae sententiae confirmationem. « Demum haec habe- » to: si licet enecare foetum in » ventre matris quando ob diffi- » cultatem partus existimandum est » necessarium ad vitam matris ut » pote praestantiorem salvandam, » cur non licebit matri ipsi vel » alii ipsum foetum item occidere » ad vitam genitricis salvandam, » quando credi potest quod vel » maritus vel alius occisurus sit » foeminam ex adulterio vel ex » fornicatione praegnantem? »

Respondemus: id non licere quia infans non est causa mortis matris, nullum ei efficienter damnum infert, in nullo mortis periculo foetus versatur, sed ad summum est occasio quare mater ab marito vel alio occidenda sit; e contra in casu nostro foetus est causa maternae mortis, et quod gravius est, ipse vel vivente, vel moriente matre, necessario moriturus est. Inter utrumque igitur casum deest omnino paritas, et argumentum nihil omnino probat. Si eiusmodi ab cl. Ciolli adductum argumentum admittatur, quoties alius est occasio alienae mortis, posset occidi; quod craniotomiae defensores numquam cogitarunt, neque ex eorum sententia sequitur, ut patet.

Post haec procedit auctor ad refutandum argumentum petitum ex aggressionis conceptu; atque ita disputat:

« Aiunt (Craniotomistae) vitae » aggressorem occidere certo lice- » re, cum aliter aggressio repelli » nequit; atqui, cum foetum nullo » modo eiicere mater potest, ve- » rus aggressor ille est vitae ma- » tris. Ergo occidere licet ».

Ad eiusmodi argumentum ita Ciolli respondet: « Nego prorsus » minorem, *primo*, quia in casu » non est aggressio; aggressio e- » nim est actio, non passio, quia » esset contradictorium; atqui in- » fans est mere passivus tum in » sua existentia, seu conceptione, » cui est prorsus extraneus, tum » in suo statu praesenti, quia *est* » *a natura coactus, cuius auctor* » *est Deus* ».

Expendamus haec pauca. Lectores nostri ex proposito superius aggressionis argumento noverunt quo sensu Craniotomistae affirment, foetum esse iniustum maternae vitae aggressorem, nempe *materialiter iniustum, non formaliter,* quatenus scilicet est causa maternae mortis; matri vero competere ius legitimum suam vitam defendendi ab materiali aggressore; foetus hinc aggressionem non in hoc tantummodo reponi debere, quod eum mater eiicere nullo modo possit, sed etiam quod volumine suo, conatibus, evolutione, sit causa qua mater subire mortem debeat. Sub eiusmodi respectu et Viscosi et craniotomistae omnes foetum vitae maternae aggressorem habuerunt et habent, non sub eo tantum, quod mater foetum effundere non possit, quo adstruitur, matrem esse unicam causam tum suae tum filii mortis. At hoc simpliciter falsum esse ex eo demonstratur, quod eiecto vel perempto foetu, mater vivat; non eiecto vel non perempto, tum mater tum foetus moriantur; si igitur perempto vel eiecto foetu mater vivit, et non vivit foetus mortua matre, non haec sed foetus est causa maternae mortis; causa enim ex effectu dignoscitur; quando scilicet posita, vel sublata tali causa ponitur, vel cessat talis effectus.

Post haec cl. Ciolli negat minorem: primo *quia in casu non est aggressio*. Non est aggressio ? Sed quo criterio fulti sexcenti theologi affirmarunt, foetum inanimem eiici ex utero a matre posse, cum ei vitae periculum infert, quia est aggressor ? Foetum vero animatum magis aggressorem esse, si inanimis est aggressor, Ciolli negaturus non erit. Ita ut dicendi sint sexcenti illi theologi qui in foetu matri mortis periculum inferenti aggressorem considerarunt, vel coecutiisse, vel errasse, vel in re nihil intellexisse.

Verum qua ratione foetus huiusmodi non est aggressor ? Quia, inquit Ciolli, *aggressio est actio, non passio, quod esset contradictorium; atqui infans est mere passivus tum in sui existentia, seu conceptione, cui est prorsus extraneus, tum in suo statu praesenti quia est a natura coactus, cuius auctor est Deus.*

At hae rationes solidae non videntur. Quandoquidem actio et passio erunt quid contradictorium si *sub eodem respectu* considerentur, non autem si sub diverso respe-

ctu. Mulier ex. gr. parturiens dum filium effundit nonne multa patitur ? attamen agit. Qui gravia pondera ferunt nonne agunt ? Attamen quanta patiuntur causa prorsus ponderis quod humeris ferunt ? In casu autem nostro, utique foetus patitur uteri materni angustiam ; attamen volumine suo et conatibns agit, et vim et mortem matri infert: agit ergo et patitur sub diverso respectu; in hoc autem nulla est contradictio. Falsum hinc est simpliciter, foetum esse mere passivum. Nihil autem difficultatis infert quod fuerit sitque passivus *in sua existentia, seu conceptione,* cui est prorsus extraneus; nam et nos loquimur de foetu habente saltem quinque, sex, vel septem menses aetatis, non autem de foetu in primo conceptionis instanti ; et haec existentia non est passiva sub quocumque respectu, sed etiam activa; et huius prorsus existentiae evolutio, et ad incrementum conatus est quae matri mortem infert. Deinde num ne ex quo foetus in sua existentia seu conceptione (inter haec duo verba discrimen aliquod intercedit et unum non debet cum alio confundi) fuerit passivus, sequitur ne esse semper passivum ? Nonne ex. gr. clar. Ciolli in sua conceptione passivus fuit? Exinde vero semper passivus est ? vel in utero matris semper fuit passivus ? Profecto hoc contradicit activitati animae humanae, quae et corpus informat et semper natura sua activa est quamvis eius activitas explicetur iuxta conditionem in qua corpus reperitur, quodque etiam anima mediante est activum. Pariter, ex quo nos simus extranei conceptioni nostrae, sequitur ne existentiam nostram inde originem ducentem esse passivam ? Si consideretur in abstracto, utique id non negabimus; sed hoc in casu neque activitatem neque passivitatem dicit; at in nostra quaestione in concreto spectatur, ita ut existentia cum existente homine confundatur. At homo existens, seu existentia concreta, eo quod fuerit extranea conceptioni suae passiva est ?

Haec profecto solido argumento indigent ut credantur. Prorsus vero non intelligimus quomodo aliquis possit esse extraneus conceptioni vel existentiae suae ; est enim ipse qui concipitur et qui existit: conceptio autem hominis non concipitur sine homine concepto, neque existentia sine existente homine. Sed fortasse Ciollius dicere voluit, foetum nullam posuisse causam ut conciperetur; quod quidem concedimus. Sed exinde quid ? Num ne ex quo quis nullam posuit causam ut esset, sequitur passivum esse dum est ?

Quid vero de alia ratione, qua adstruitur foetum uti aggressorem habendum non esse, *quia est a natura coactus, cuius auctor est Deus?* Eiusmodi profecto argumentum et

per se nihil probat, et si ad alia extendatur nimis probare videtur, atque ad absurda conducere.

Et quoad 1. num ne ex quo aliquis sit a natura coactus ad aliquid peragendum, sequitur ne eum non esse aggressorem? Profecto contrarium sequitur, scilicet eum esse aggressorem coactum. At ex quo quis sit coactus aggressor, sequitur ne aggressionem patientem non debere eam repellere? Foetus utique ex lege naturae in utero matris apparuit, ex naturae lege pariter evolvitur, et conatus emittit: at evolutio, conatuum emissiones, aliaque eiusmodi activitatem sonant et dicunt: potest ergo aliquis a natura cogi, et activus esse. Ratio ad ducta igitur per se nil probat.

Sed ad alia extendatur: nonne ad absurda conducit? Sequeretur enim, homines pati debere mala quaelibet, quae ex naturali aggredientium indole vel natura, quicumque ii sint, proficiscuntur; etenim illius naturae Deus est auctor. Sed certi sumus, eiusmodi illationes Alexandrum Ciolli neque velle, neque admittere neque ad eas cogitasse.

Hinc ad alia argumenta ab eo adducta expendenda accedimus. Prosequitur autem. « Secundo, quia » dato et non concesso, quod es- » set aggressor, non esset vero » aggressor iniustus, tum quia est » coactus, ut dixi iam, et coactio » explodit iniustitiam ex parte co- » acti, tum quia iuste utitur iure » suo ad vitam plane evolvendam, » et acquirendam iuxta naturae » leges, quas iterum ipse coacte » subit. »

Respondeamus ad haec. Quo argumento probabit Ciolli, aggressionem etiam materialiter iniustam, immo coactam, non esse repellendam etiam cum aggressoris morte, si alias vitari non possit? Perfecte ebrius, et amens nonne essent iniusti aggressores, et coacti, hic distortis ideis, ille vino? Attamen si hi aliquem aggrederentur, nonne aggresso competit ius sese defendendi, illosque etiam occidendi si moderamen inculpatae tutelae servari non possit? Aggressio igitur materialiter iniusta et coacta potest repelli, si necessitas cogat, etiam cum morte aggressoris. Si igitur foetus est materialis aggressor maternae vitae, poterit et ipse sine culpa interfici. Utique coactio explodit iniustitiam ex parte coacti. Sed quid inde inferet cl. Ciolli? Aggressum ne ab homine coacto non teneri repellere vim illatam etiam cum morte aggressoris coacti si necessitas urgeat? Hoc antea probet argumento aliquo, et postea respondebimus. Interea inferimus, primam rationem ab adversario adductam admodum solidam non esse.

Sed foetus neque ut aggressor materialiter iniustus considerari et haberi potest, prosequitur Ciolli, « quia iuste utitur iure suo ad vi- » tam plane evolvendam et acqui-

» rendam iuxta naturae leges, quas » ipse iterum coacte subit. »

Et nonne etiam mater iuste utitur iure suo ad vitam salvandam?

At mater, subsumit Ciolli, non potest salvare vitam suam cum occisione foetus.

At foetus, subsumemus nos, quomodo potest sese evolvere et vitam acquirere mortem matri inferendo? Deinceps aliis licitum est propriam vitam salvare, immo urbes capere, cum innocentium occisione, ut vidimus; quare idipsum non licebit matri?

Quia, instat Ciolli, foetus cogitur naturae legibus.

Et mater, etiam nos instabimus, nonne cogitur naturae legibus?

Quandoquidem si parere posset, foetum interfici non permitteret. Si igitur foetui, eo quod cogatur naturae legibus, licet sese evolvere et vitam acquirere cum morte matris; etiam huic, eo quod ob naturae leges parere non potest, licebit sese concepto foetu expedire. Et quidem evidentiori ratione, tum quia iura eius potiora sunt, tum quia sese foetu expediendo, sanitatem consequitur, foetus autem, vivat aut moriatur mater, necessario morietur. Evolutione hinc sua foetus nil aliud consequetur quam citius sibi et matri mortem inferre.

Sed *tertio,* prosequitur Ciolli, « quia potius mater est aggressor » infantis, tum quia ipsa dedit ei » vitam, iuxta leges, quas praete- » rire non licet foetui, tum quia » mater ipsa est quae, ut pluri- » mum, ne dicam semper, phy- » sice impedimentum ponit ad fe- » licem egressionem infantis, vel » propter arctitudinem, vel propter » aliam causam, interdum etiam ex » delicto provenientem. »

At relate ad 1. ex quo mater dederit infanti vitam iuxta leges, quas huic praeterire non licet, consequens non est, hunc non esse maternae vitae aggressorem. Quidquid enim Ciolli dicat, est prorsus infans qui maternae mortis est causa: si enim hic vel vivus vel mortuus ex materno utero eruatur, periculum matris, ut plurimum, cessat; quod adeo certum est, ut ad salvandam matris vitam inducta sit craniotomia. Deinde, si infans ideo non est matris aggressor, quia ab ea recepit vitam iuxta leges, quas ipsi praeterire non licet, quomodo vocari potest aggressor mater ipsa, quae et dedit foetui vitam, et in eo statu reperitur, prorsus ob leges, quas ei praeterire non licet? si posset enim foetum vel retinere, vel effundere, vel effunderet, vel retineret. Ob eamdem ergo rationem mater aggressor non est. Uterque igitur erit patiens. Sed si mater patiens est, alicuius causa certe patitur, haec autem causa est foetus: ergo foetus est activus et vim infert matri; sed iuxta Ciolli est prorsus infans qui patitur; ergo aliquis (det veniam)

potest esse eodem tempore agens et patiens sine ulla contradictione. Tertio, Theologi omnes fatentur licere matri pharmacum sumere directe ad salutem suam procurandam, quamvis ex sumpta medicina praevideatur abortus secuturus, et mors foetus. Attamen etiam hoc in casu mater dedit foetui vitam iuxta leges, quas huic praevaricare non licet. Unde ergo liceret matri pharmacum sumere, cum foetus ex legum necessitate cogatur matri mortem inferre, et etiam hoc in casu non foetus, sed mater dicenda esset infantis aggressor? Utique dicturus erit Ciolli, in praesenti casu directe medicinam dari ad curandam matris salutem. Esto; sed medicina praevidetur abortum productura; quin dicamus, medicum certo scire eam esse producturam abortum, cum id ex repetita experientia didicerit; ergo quamvis foetus receperit a matre vitam iuxta leges naturae, quas ei praevaricare non licet, mater poterit salutis suae curandae causa, foetum ex utero eiicere. Addimus, in hisce casibus non tam ex medicina, quam ex abortu matrem salutem recuperare; ratio itaque a Ciolli adducta nimis probare videtur; quandoquidem ratio haec quamcumque abortus liceitatem excluderet; in quocumque enim abortus casu, foetus sese evolvit iuxta leges naturae quas ei praevaricare non licet.

Esto autem, ut aliam rationem expendamus, quod sit mater quae ut plurimum, imo semper, phisice impedimentum ponat ad felicem egressionem infantis, vel propter arctitudinem, vel propter aliam causam. Quid inde? Nonne mater ita a natura comparata est? arctitudo illa nonne est effectus naturalis? Nonne mater ea in conditione reperitur iuxta leges, quas ei praevaricare non licet? At, iuxta Ciolli, ex eiusmodi naturae legibus, quas praevaricare non licet, oritur in foetu ius evidens ne occidatur: idem ergo ius ob eamdem rationem oriatur in matre oportet: sed est infans qui matrem occidit, et quod gravius est, matrem occidendo, seipsum non servat, dum e contra mater occidendo foetum unicam suae mortis causam, vitam propriam tuetur et servat. Quo ergo argumento mater iure suo spoliatur, qua ratione vocatur filii aggressor, et in culpa, si illa aggressione quomodocumque se expediat? Onus demum cl. auctori incumbit probandi, teneri matrem mortem subire, quando ob uteri angustias foetum in lucem dare non potest.

Praetermittimus causas ex delicto derivantes; essent enim exceptiones; exceptiones autem firmant regulam.

Post haec auctor Avanzinium aggreditur, et: « Valde lepidum est, » inquit, quod Avanzini, ceteroquin doctissimus, dicit ad suam » thesim propugnandam, infantem » scilicet in casu nostro *ius vitae*

» perdidisse, et solum ei superesse » ius eligendi... modum moriendi; » ius scilicet vel eligendi modum, » quo simul cum ipso mater mo- » riatur, vel modum quo ipse so- » lus, matre exempta, mortem » incurrat, cum per hoc, ait, » eius conditio peior non evadat. » Sed manifestam aberrationem hic » nemo non videt et gratuitam » assertionem. Cur, vel ex quo in- » fans ius perdidit vitae? Non ex » iniusta aggressione, ut vidimus: » Ergo? Ius habet, aiunt, eligendi » modum mortis; at, sodes, habet » ne ius quod *directe* occidetur? » Huc demum redit quaestio: sed » quis hoc feret umquam? »

Ut ad haec etiam respondeamus. Non inficiamur clarissimi et doctissimi Avanzini verba obscuriora esse, neque satis aperte apparere eius mentis conceptum, quid scilicet significare voluerit per ius illud quod infanti tribuit, eligendi sibi modum moriendi. Dolendum quod eiusmodi conceptum non declaraverit; novimus tamen, Avanzinium nostrum talem scriptorem fuisse, qui sese ab imprudentibus et gratuitis assertionibus temperaret.

Attamen Articulo III, quem postremum de craniotomia scripsit, quique habetur *in Actis S. Sedis Vol. VII pag. 516. seqq.* mentem suam satis aperte ita declaraverat:

« An infans in eo statu constitutus, in quo necessario mori » debeat, ius habeat eligendi me- » dium quod cum seipso simul ma- » trem interimat, alio medio de- » negato, quod dum peiorem con- » ditionem suam non facit (cum » mox mori debeat) matrem inco- » lumen reddat: »

Vel aliis verbis: « Utrum infans » in ea conditione instantis mortis » constitutus ius habeat perimendi » cum sua morte matrem. »

Vel etiam: « Utrum mater te- » neatur eo usque servare in utero » vivum infantem, quousque eo » certo moriente, certam mortem » ipsi matri inferat. »

Ad propositam quaestionem autem negative respondit, 1. quia infans in casu est vera et positiva causa materni interitus. 2. quia considerandus est tamquam maternae vitae aggressor materialiter iniustus; 3. quia nulla ei infertur iniuria cum necessario, et mox moriturus sit.

Atqui quod infans in casu sit vera, positiva et unica maternae mortis causa ex hoc uno patet quod ad salvandam matris vitam inducta sit craniotomia, et quod occiso et extracto foetu mater supervivat; quod sit considerandus ut maternae vitae aggressor materialiter iniustus, theologi sexcenti affirmarunt; et non spernendis fortasse rationibus superius probavimus; quod vero ei nulla inferatur iniuria patet tum ex aggressionis conceptu, tum quia vita foetus in casu est prorsus inutilis, cum ad nihil aliud inserviat quam ad occidendam matrem, neque ad praesumptivam

foetus voluntatem recurri potest, tum quia eius exercitio caret, tum quia si intellectu et voluntate uti posset, assentiretur profecto, dummodo Neronianam indolem sortitus non supponatur, ut ad salvandam matrem, sibi vita inutilis, imo damnosa, et per quam brevis auferretur.

Quod si quaestionis statum ab Avanzinio propositae ad tertium reducamus, profecto habet pro se theologorum consensum; eo vel magis quod, baptismate mediante foetus aeternae vitae consulitur.

Hisce tamen posthabitis quaerit cl. Ciolli:

Cur, vel ex quo infans ius perdidit vitae? Cur, vel ex quo, etiam nos quaeremus ab eo, infans qui in via proculcatur, ius perdidit vitae, ita ut sine ulla sua culpa occidatur?

Cur, vel ex quo ius vitae perdunt innocentes qui in urbe obsessa ab hoste interimuntur?

Cur, vel ex quo perdidit ius vitae homo innocens, quo veluti scuto iniustus utitur aggressor!

Cur vel ex quo ius vitae perdiderunt duo homines qui in naufragio tabulam arripuere, quaeque cum utrumque ferre non possit, et brevi in profundum maris demergendi sint, unus alium deiicere sine culpa potest?

Ad haec antea respondeat cl. auctor, et postea nos Avanzini nomine ei dicemus, cur vel ex quo infans in casu amiserit ius vitae.

Post Avanzinium Alexander noster aggreditur Stephanum Apicella.

Legamus primum, et postea quae scribit expendamus. Scribit autem:

« Aliud argumentum pro em-
» bryotomia ex conflictu, ut aiunt,
» iurium (*collisione dei diritti*) erui-
» tur, et sic proceditur. In casu
» nostro adest collisio iurium vitae
» matris et filii; atqui in conflictu
» quaquaversus ius praevalet ma-
» tris, eo vel magis quod infans
» in praesenti statu ius vitae per-
» diderit. »

Respondeo « negando minorem,
» *primo,* quia falsum est, ut iam
» dixi, et prorsus gratis assertum
» quod filius perdiderit ius vitae;
» *secundo*, quia ius matris non
» praevalet nec in ratione indivi-
» dui humani, quia, ut sic, indivi-
» duum matris aequalitate naturae
» et iurium gaudent; nec in ra-
» tione maternitatis, quia relatio
» maternitatis, reduplicative ut ta-
» lis, non dicit (nisi gratis assera-
» tur) praevalentiam vitae ipsius-
» met matris, cum ambae vitae
» sint relativae; nec in ratione ma-
» ioris et praestantioris connexio-
» nis, ut aiunt, vitae matris cum
» ordine naturae, quatenus ipsa
» altiorem locum occupat in ipso
» naturae ordine, quia primum, haec
» praestantia esset quid acciden-
» tale, et iuri vitae individui hu-
» mani accessorium, quia secundo
» haec praestantia ex officio matris
» in societate ei conferre non po-

» test ius adimendi vitam filio na-» scituro, cum nasciturus habeatur » pro nato, quia tertio haec prae-» stantia vitae matris, ut suppo-» nitur, falsa est in sua generali-» tate, cum fieri possit, quod vita » filii nascituri sit vel propter di-» gnitatem, vel propter censum, » vel propter continuationem fami-» liae prestantioris conditionis, ut » sic, vitae matris. Ergo etiam ex » hoc capite embryotomia corruit » omnino. »

Deo favente, haec post lectionem, patienter ad examen revocemus.

Et 1. generaliter. Cl. Avanzini redarguitur a Ciolli quasi aliquid *valde lepidum* pronuntiarit, dum affirmavit foetui in casu ius superesse tantummodo eligendi modum moriendi. Attamen vir ceteroquin doctissimus ius aliquod foetui superesse affirmavit, quod in necessitate moriendi (et quidem brevi temporis spatio) in qua reperitur, parum non est. At praestantissimus Ciolli, dum adeo de infantis vita sollicitus est, nullam de vita matris curam et rationem habet; ita ut haec nullo vivendi iure in collisione cum filio frui videatur. Eius enim iura non praevalent neque in ratione *individui humani*, neque in ratione *maternitatis*, neque in ratione *maioris et praestantioris connexionis cum ordine naturae*. Nulla igitur ratione iura matris relate ad vitam praevalent.

At si iura matris non praevalent, a Ciolli petimus, cuiusnam iura praevalebunt? Profecto vel foetus, vel nullius. Si foetus; ergo huius iura praestantiora sunt matris iuribus. At matris vitam praestantiorem non reddit neque ratio individui humani, neque ratio maternitatis, neque ratio maioris et praestantioris connexionis cum ordine sociali; proferat ergo clarissimus auctor quidnam tandem aliquando sit illud quod foetus vitam praestantiorem reddat: ipse enim nec perfectus individuus humanus est, cum nondum sit natus, et inter homines, ni Deus miraculum agat, numquam versabitur; neque perfectum ius filiationis habet, cum filii dicantur illi qui nati sunt, connexionem cum ordine sociali neque habet, neque habere poterit, cum infra materni uteri angustias brevi moriturus sit: dicat ergo quomodo iura foetus praevalere contra matrem possint? Quam de cetero praevalentiam ipse negare non potest, cum foetui absolutissime concedat ius vivendi per brevissimum fortasse horae spatium, quamvis exinde mortis maternae sit causa.

At si cl. auctor foetus iura praevalere affirmet, videat ne quid proferat quod difficilis probationis sit; difficillimum enim est probare, iura ad vitam momentaneam nondum nati foetus praevalere iuribus maternis. Cum autem non supponamus eum haec cogitasse, vel affirmare voluisse, dicendus est voluisse potius affirmare, nullius iura

praevalere, sed aequaliter se habere; consequenter neutri esse in casu ius ad vitam cum alterutrius iniuria vel damno materiali; quod in sensu auctoris certissimum est, etenim ne puer occidatur, quamvis brevi certo certius moriturus sit, permittit seu contendit ut etiam mater moriatur; id autem quia iura matris praevalere non possunt neque in ratione individui, neque in ratione maternitatis, neque in ratione maioris et praestantioris connexionis cum ordine naturae.

Cum eiusmodi rationes certas habeat, auctori praestantissimo sequentem casum resolvendum committimus. Filius ingratus irruit in patrem, hic autem vitam servare non potest, nisi filium occidendo. At qua ratione occidet? Nam ut occidat, ius vivendi quod habet pater praevalere debet iuri quod possidet filius; at non praevalet in ratione individui, *quia ut sic individuum filii et individuum patris aequalitate naturae et iurium gaudent,* nec in ratione paternitatis, *quia relatio reduplicative ut talis, non dicit praevalentiam vitae ipsiusmet* patris, *cum ambae vitae sint relativae,* nec in ratione maioris et praestantioris connexionis vitae patris cum ordine naturae...., *quia primum haec praestantia esset quid accidentale, quia secundo haec praestantia ex officio* patris *ei non potest conferre ius adimendi vitam filio.*

Ergo?... Respondeat Ciolli. Eum autem monemus ne ad aggressionem, collisionem iurium etc. cofugiat, nam aggressione et collisione etc. non obstantibus, individuum patris et individuum filii aequalitate naturae et iurium gaudent, paternitas nullam dat praevalentiam, connexio vitae patris cum ordine naturae est quid accidentale.

Inferimus demum, quod si eius ratiocinatio vera est, numquam licitum erit hominem interficere, numquamque relate ad vitam dabuntur iurium collisiones.

Sed sigillatim allegatas rationes perpendamus. Et quantum ad primum, non dari scilicet in casu praevalentiam iurium, quia individuum matris et individuum filii aequalitate naturae et iurium gaudent, petimus a Ciolli: an collisio et consequenter praevalentia iurium, oriatur ex aequalitate naturae et iurium, vel ex alio aliquo capite? Si primum affirmet, numquam dabitur collisio et praevalentia, quia quantum ad naturam attinet, et iura individualia naturalia, omnes sumus aequales. Si ex alio aliquo capite, nobis inferre permittat: ergo prolatum argumentum, sive adducta ratio, nulla absolute est. At collisionem et iurium praevalentiam ex aliis capitibus, et non ex aequalitate naturae oriri, quamvis certissimum sit, atque exploratissimum, tamen praestantissimo adversario haec ex doctissimo Taparelli desumpta legenda porrigimus.

« Sed tandem supponatur perfe-

cta collisio.... cuiusnam ius praevalebit? Si iura unius humanitatis consideremus, haec sunt aequalia in utroque, sed aggressio introducit terminos individuantes; qua de causa in *una naturae identitate* sistere non possumus. » (1)

Atque quae Taparelli de aggressione affirmat, potest etiam affirmari de quacumque alia circumstantia, quae collisionem iurium inducat. Cum itaque collisio iurium ex identitate naturae non oriatur, ratio inde petita nihil omnino probat in casu. Neque umquam craniotomiae defensores affirmarunt, iurium collisionem matris vitam inter et filii ex identitate naturae oriri sed ex eo quod foetus uti aggressor sit considerandus, laedatque ipse iura quae mater habet ad vitam; affirmarunt consequenter praevalentiam maternorum iurium ex terminis individuantibus. Existentiam igitur horum terminorum negare debet adversarius, ut aliquid probet; sin minus argumentum plane nullum, seu *quod nihil omnino probat;* inducit. At negabit ne Ciolli foetum esse causam maternae mortis? Profecto, negare non potest neque negat, quamvis affirmet foetum ad id a natura impelli... Ergo quamvis individui iura sint aequalia, cum foetus quamvis materialiter, et a natura coactus laedat materna iura, competit matri ius sese defendendi suamque vitam conservandi.

Ad eiusmodi falsum ratiocinium ideo cl. Ciolli devenit, quia individuum matris et individuum filii in abstracto consideravit *(ut sic);* sed profecto considerare debuisset in concreto, iis in extremis scilicet et circumstantiis, in quibus versantur, eo in statu quo reperiuntur, iis in iuribus quibus fruuntur; iis in relationibus quibus ad invicem afficiuntur; at humanum individuum sub hoc respectu consideratum iurium aequalitate tum tantum gaudet, cum aliena iura non laedit; si laedat, ut prorsus foetus iura laedit matris, aequalitate iurium gaudere non potest, cum illico termini individuantes intercedant, qui inducunt iurium collisionem.

Secundam rationem; quod scilicet relatio *maternitatis, reduplicative ut talis, non dicit (nisi gratis asseratur) praevalentiam vitae ipsiusmet matris, cum ambae vitae sint relativae*, aut non intelligimus, aut eodem vitio laborat. Ni fallimur, id Ciolli affirmare voluit quod sicut relatio est mutua, ita extrema iuribus aequalibus, sine ulla praevalentia, polleant; at si

(1) Suppongasi finalmente perfetta collisione . . . qual diritto sarà più gagliardo? Se riguardassimo i diritti *solo della umanità*, sariano uguali in entrambi, ma l'aggressione ha già introdotto nel problema dei termini individuanti, onde più non possiamo isolarci nei confini *della identità di natura.* Saggio teor., n. 385.

haec vir doctus dicere voluit, profecto non advertit, hoc in casu, causam reduplicative sumptam non esse superiorem effectui reduplicative considerato; neque quod pendet ab alio, inferius ei esse a quo dependet. Quandoquidem etiam cum relatio inter extrema est mutua et realis, nullo pacto inter extrema inducit aequalitatem, sed illa ad invicem tantum refert, cuilibet extremo quod proprium est intactum servans. Ita ex. gr. *maternitas* refert matrem ad filium, et *filiatio* refert filium ad matrem, sed relatio filii, seu filiatio non destruit matris praeeminentiam, et alia quaelibet quibus mater fruitur, sicut e contra maternitas non destruit filii subiectionem. Haec autem in dubium revocari non possunt. Qua de causa si sententiae a cl. adversario prolatae vim et sensum assecuti sumus, ex eo quod matris et filii *vitae sint relativae,* non sequitur profecto matris vitam non esse filii vita praestantiorem, nec illius iura prae huius iuribus non esse validiora, cum relatio de hisce nihil omnino evincat, et nullo pacto probet in collisione huiusmodi non praevalere materna iura; argumentum adductum, scilicet, est absolute nullum.

De cetero eiusmodi maternorum iurium praestantiam alios inter asseruit doctissimus Sanchez qui *Matrim. lib. IV. nn. 14, 18* scripsit: *Potius ius habet mater ad medicamentum salutiferum cum foetus morte; quam foetus cum morte matris; cum hic a matre, non e contra pendeat..... Potius ius habet mater ad vitam propriam, quam foetus ipse.*

Ex quo etiam apparet, quanta veritate unus e Censoribus in allegata casus moralis apud S. Apollinarium resolutione, Avanzinium nostrum redarguerit quasi ab veteri theologorum sententia recesserit; apparet etiam quanto iure defensores liceitatis craniotomiae ab adversariis redarguantur, quasi oppugnent sanae theologiae principia. Contrarium profecto affirmare possemus, sed modestiam in omnibus adhibere desideramus.

Cum itaque ex adducta ratione quod *matris et filii vitae sint ambae relativae,* nullo pacto adstruatur, materna iura non praevalere, ex doctissimo Taparelli praestat innuere, ex quo maternorum iurium praevalentia oriatur. Porro scribit: « Ex Societate coniugali oritur *ob* » *factum naturae* societas paterna » in qua filii associantur parentibus » relationibus evidenter *inaequalibus*. Etenim si respectus habeatur ad eorum unionem, quatenus » *cohabitatio* est, pater et mater » sub eo, iam possident domesticam auctoritatem. Si eorum unio » consideretur quatenus est *per generationem,* filius omnia a parentibus habuit, si anima excipiatur » quae Dei donum est; relatio igitur filii ad parentes est uti illius qui beneficia recepit ad sum-

» mos benefactores, et ideo inclu-
» dit debitum grati animi, et of-
» ficiorum vicissitudinis, quod eum
» naturaliter dependentem consti-
» tuit. Si unio illa consideretur uti
» necessaria ad filio alimenta atque
» educationem exhibendam, *phi-*
» *sica et moralis necessitas* eum
» docet a parentibus dependere
» et quantum ad corpus et quan-
» tum ad mentem attinet. Demum
» si filius consideretur uti conti-
» nuatio *paterni esse*, cui ipse succe-
» dere debet ut aeterna consilia
» adimpleat, clarum est quod *con-*
» *tinuatio* essentialiter ab antece-
» dente dependeat. Auctoritas, be-
» neficia futura, generatio reddunt
» parentes naturaliter filiis suis su-
» periores. » (1)

Titulo igitur *unius generationis* parentes naturaliter sunt filiis superiores; foetus igitur cum a matre genitus sit, ab ea naturaliter dependet ratione filiationis seu generationis; at iura illius qui ab alio dependent, inferiora sunt iuribus a quo dependet.

Ceteros dependentiae et inferiorum iurium titulos ab Taparelli recensitos praetermittimus, cum in casu nostro veritatem consequi non possint, cum foetus infra materni uteri angustias, et utcumque moriturus sit.

Attamen observare nobis licitum sit; si ratione generationis parentes sunt filiis naturaliter superiores, cum generatio iuxta consuetum naturae ordinem procedit, cum scilicet filii nullum ponunt impedimentum, quo eos mater in lucem edat; quid dicendum, cum foetus matri mortem infert; est causa scilicet, ob quam vitam amittere mater debeat? Hoc enim in casu, praeter ius praevalens ob generationis titulum, aliud superveniet titulo propriae vitae conservationis.

Exinde nobis concludere licitum

(1) Dalla società coniugale nasce *per fatto di natura* la società paterna, in cui sono associati i figli ai parenti in relazione evidentemente disuguali. Giacchè se si riguarda la loro unione in quanto è *coabitazione*, il padre, e sotto lui la madre, già posseggono la domestica autorità. Se si riguarda in quanto è *per generazione*, il figlio tutto ebbe dai parenti, tranne l'anima dono del Creatore: la sua relazione con essi è dunque di beneficato a sommi benefattori, e però inchiude il debito di gratitudine e di contracambio che lo costituisce naturalmente dipendente. Se si riguarda in quanto è richiesta per *suo sostentamento* ed *educazione* il bisogno *fisico* ed il *morale* gli accennano che egli dipende e nel corpo e nell'anima Finalmente se si rignarda il figlio come continuazione dell'essere paterno, a cui egli deve sottentrare per adempiere il debito di adoratore ed esecutore dei disegni eterni, è chiaro che la *continuazione* dipende essenzialmente dall'antecedente. Autorità, benefizii passati, benefizii futuri, generazione, rendono dunque i parenti naturalmente superiori dei figli loro. *Saggio teoretico* n. 1555.

sit, quod si praevalentiam iurium maternorum cl. Ciolli excludere voluit ob relationem mutuam et realem in abstracto consideratam inter matrem et filium, nihil omnino demonstravit, quia extrema in relatione mutua et reali in abstracto considerata non dicunt nec aequalitatem, nec inaequalitatem; si vero contendere putavit, titulo generationis, nullo pacto iura matris praevalere, hoc in casu argumentum ab eo adductum est falsum. Si aliquid aliud intelligere voluit, declarare illud faveat et respondere.

Quid autem de tertia ratione, ob quam adversarius excludit praevalentiam maternorum iurium ex eo petitam, quod ipsa habeat maiorem et praestantiorem connexionem cum naturae ordine; idque quia eiusmodi praestantia est accidentalis, et vitae humani individui accessoria?

Quasi scilicet id quod per accidens vitae humani individui accedit, nullum ius ei conferat, ni sit eius naturae etiam intrinsecum, vel quasi iura accidentalia et accessoria impune violari possint. Profecto potestas et dignitas papalis, imperatoria, regia, episcopalis etc. est quid accessorium humano individuo, quod scilicet eius naturam non ingrediatur: num ne exinde Romani Pontificis, Imperatoris, Regis, Episcopi iura impune violantur?

Igitur etiam concesso quod maris praestantior connexio cum ordine naturae sit accidentalis, exinde non sequitur in conflictu eius iura potiora non esse; connexio enim haec praestantior matris cum naturae ordine ipsius vitae est coniuncta, ita ut separari minime in concreto possit, sicut in concreto papalis et regia potestas a Romano Pontifice vel rege dividi nequit, ita ut qui utrumque vel alterutrum offendat, iura accidentalia utriusque vel alterutrius vitae insita quamvis accidentaliter, etiam offendat.

Cum itaque craniotomiae defensores affirment, in conflictu iura potiora praevalere debere, atque adversarius concedat, potiora iura matri quidem inesse, sed accidentaliter, certum autem et evidens sit, iura accidentalia violanda non esse, hoc ipso patere arbitramur in conflictu et collisione materna iura ad vitam praevalere debere, quia vitae maternae insunt potiora iura quamvis accidentalia, attamen inseparabilia, quae non insunt vitae foetus.

Utique, ut ad aliam rationem deveniamus, praestantia ex officio matris in societate ei conferre non potest ius adimendi vitam filio nascituro sine ulla causa; sed in praesenti casu ideo adimit, vel assentitur ut ei adimatur, quia sin minus filius nasciturus *matricida* erit. Mater autem magis tenetur propriam vitam tueri, quam vitam foetus. Adducta igitur ratio tum vera est, cum foetus nullum maternae vitae periculum infert, minime quando matrem ad mortem adducit.

t

Iterum hinc cl. adversarius iura matris et foetus in abstracto considerat, non in concreto, iis in circumstantiis, scilicet, in quibus mater et foetus versantur, et in collisione illa iurium quae exinde nascitur.

Ut autem omnium quae in re protulimus veritatem adversarius percipiat: in quarto Decalogi praecepto cuilibet filio Deus praecepit: *honora patrem tuum et matrem tuam.* At si filii uterentur argumentis ab Ciolli propositis, illico sese ab honore parentibus debito dispensarent. Etenim ut illis debitum honorem impendant, eorum iura iuribus filiorum praevalere debent; atqui non praevalent in ratione individui, quia individuum filii et individuum patris et matris aequalitate naturae et iurium gaudent; nec in ratione paternitatis vel maternitatis quia haec reduplicative non dicit praevalentiam, cum vitae sint relativae; nec in ratione praestantioris connexionis vitae parentum cum ordine naturae, quia eiusmodi praestantia est quid accidentale; quo igitur titulo filii parentes honorabunt? Attamen Deo omnipotenti certe tituli praesto fuerunt, quorum causa filio cuilibet praeceperit: *Honora patrem tuum et matrem tuam.*

Nihil dicimus de additione, *Quia nasciturus habetur pro nato;* cum enim hic foetus, ut ex posito quaestionis statu patet, numquam nasciturus sit, non intelligimus quomodo pro nato haberi possit. Leges autem quae considerant habentque filium nasciturum pro nato, loquuntur iuxta communem naturae ordinem, in quo filii nascituri communiter nascuntur. At dignum inquisitione esset, an humanae leges pro nato habuerint aliquando filium qui nonnisi per miraculum nasciturus erit; et an Legumlatores aliquando matres punierint, quae conceptis foetibus ultro sese expediverint, quod sin minus ipsae ab illis, vel ipsorum causa, expeditae fuissent. Adversarius feret punctum, si eiusmodi leges et inveniat, et in medium proferat.

Praetermittere possemus cetera quae subdit, cum et falsa sint, et extra quaestionis statum gradiantur. Etenim ait: *Tertio praestantia vitae matris, ut supponitur, falsa est saltem in sua generalitate, cum fieri possit quod vita filii nascituri sit vel propter dignitatem, vel propter censum, vel propter continuationem familiae praestantioris conditionis, ut sic, vitae matris.*

At pace cl. auctoris; 1. Si praestantia maternae vitae falsa est in sua generalitate, quia vita filii praestantior esse tractu temporis poterit; ergo nisi haec futura filii praestantia detur, in praesenti statu, vita materna praestat. Falsum ergo esset, in praesenti statu aut foetus, aut nullius iura praevalere. 2. At hanc vitae praestantiam foetum numquam esse consecuturum, ex proposito quaestionis statu evidens est; status enim quaestio-

nis est, quod occiso foetu mater vivat, hoc non occiso, tum foetus tum mater moriantur; ergo cum eiusmodi praestantiam numquam foetus sit consecuturus, superest ut in praesenti statu vita matris sit praestantior. Non irascimur tamen Ciollio, quia hac in re excripsit cl. Alphonsum Eschbach. 3. Potest ne esse falsum, vitam matris praestantiorem esse in sua generalitate, eo quod possibile sit foetus vitam praestantiorem futuram? Possibilitate futura excludit ne factum praesens? Quid eiusmodi argumentum? Possibile est ut vita futura infantis praestantior sit vita actuali matris. Ergo praevalent eius iura? Profecto contrarium sequitur. Etenim si possibile est ut vita futura foetus sit praestantior; hic et nunc praestantior non est. 4. Ciolli comparat, prout etiam cl. Eschbach, cum vita praesenti matris, vitam futuram filii; at debet componere cum maternae vitae praestantia, foetus vitam prout in praesenti statu, scilicet in utero matris, reperitur. 5. Si possibile est, vitam foetus praestantiorem futuram, possibile est etiam futuram deteriorem, eum scilicet nec ullam dignitatem consecuturum, prodigum futurum, latronem, imbecillem, mentecaptum. Et hoc ut cum Ciolli liberales simus, cum de cetero foetus neque bonus neque malus futurus erit, cum necessario moriturus sit, atque intra materni uteri angustias. At hoc in casu, petimus ab cl. auctore, quid?...

Post haec Ciolli concludit: « Ceterum si embryotomia, id est occisio infantis propter partus difficultatem, ut hodie propugnata est, licita admittatur, cur non probaretur etiam in decursu, et maxime in principio gestationis, quando praevideri probabiliter potest, foetum non nasciturum absque gravi periculo matris? Cur ergo, dicam, non admitteretur abortus arte medica procuratus?»

Quia, vir clarissime, haec admitti non possunt, eo quod foetus iste nullum matri hic et nunc infert mortis periculum, ideoque non licet eum interficere, sicut non licet interficere aggressorem, ut eius aggressio praeveniatur; consequenter inter utrumque casum nulla adest paritas.

Antequam huic quaestioni finem demus, necessarium ducimus triplici difficultati respondere quas adversarii craniotomiae urgent. Prima interrogatione concluditur: Quis dat, inquiunt, matri potestatem foetum interficiendi?

Alteram ita nobis proposuere. Certum est, matrem libere concepisse foetum, et omnino voluntarie: ergo voluisse censenda est consequentias conceptionis, ipsaque proposuisse sese felicis vel infelicis partus discrimini.

Primae difficultatis solutionem etiam nos interrogatione concludemus.

Quis dat aggresso potestatem interficiendi aggressorem etiam materialiter iniustum, nedum quando vitam aggreditur, sed etiam substantias magni momenti?

Quis dat aggresso facultatem interficiendi innocentem, quo veluti clypeo utitur agggressor?

Quis dat facultatem homini hostem fugienti proculcandi puerum vel claudum, si eos alias declinare non possit?

Quis dat facultatem duci innocentes interimendi, ut urbe potiatur?

Quis dat facultatem duobus naufragis qui tabulam arripuere, ut unus alterum deiiciat, si tabula utrumque sustinere non possit?

Dicimus itaque, eum qui his omnibus etiam innocentes occidendi dedit facultatem, matri dedisse potestatem foetum conceptum enecandi, si alias periculum mortis evadere non possit.

Ad alteram difficultatem respondemus, matres ideo libere et voluntarie concipere, quia sperant, et fere pro certo habent, sese filios parituras esse ut ceteras matres, eas ut plurimum non praevidere infelicem futurum partum, easque quae praevident rariores esse, atque in medicorum peritia confidere. Consequens hinc ex antecedente recta non descendere. Insuper etiam imperfectiori utero praeditae matrimonio interdici non possunt, neque Ecclesia eis prohibet quominus matrimonio copulentur; at ex contracto matrimonio oritur potestas legitima utendi matrimonii; ex usu autem matrimonii oritur conceptio et generatio. Actum ergo undequaque licitum matres posuere; ex actu licito et voluntario oritur partus difficultas, obliquatio foetus, et mors matris. Quid inde? Num ex quo aliquis actum licitum et voluntarium posuit, tenetur subire mortem, si ex actu posito talia oriantur quae mortis periculum inferant? Id nemo dixerit. Etenim quia actus positus licitus prorsus fuit, periculum mortis exinde ortum declinare potius tenebitur.

Demum hac in re quis argumenta instruere huiuscemodi posset: Ad liceitatem craniotomiae demonstrandam duo profecto probanda essent.

1. Foetum per se, et non per accidens, esse causam maternae mortis.

2. Craniotomicam operationem non per se, sed per accidens, ordinari ad occisionem foetus.

At foetum esse per se causam maternae mortis difficilioris probationis videtur; etenim hac in hypothesi, quocumque tempore, vi sui, irrogaret matri mortem; hoc autem falsum esse ex eo patet, quod foetus in datis circumstantiis et conditionibus tantum maternae mortis sit causa; quae insuper circumstantiae non tam a foetu quam a matre dependent, cum earum causa sint vel uteri angustiae, vel debi-

litas, vel alia phisica matris imperfectio; ex his autem potius apparet, foetum esse maternae mortis causam per accidens.

At e contra in craniotomica operatione occisio foetus est intenta per se tamquam finis operis, a quo ut ex obiecto recipit specificationem et rationem culpae vel virtutis. Finis autem operantis non potest auferre id quod finis operis habet ab intrinseco moralitatis. Cum ergo craniotomiae finis sit occisio foetus tamquam per se effectus et intentus, salus autem matris sit finis operantis, manifestum fit, hanc matris salutem non esse obiectum operationis craniotomicae, sed circumstantiam, et ad eam sese habere per accidens.

Breviter, utrum haec in casu nostro vera sint, perpendamus.

Et quoad primum, absolute affirmamus, foetum in casu *efficienter et per se* esse maternae mortis causam.

Causa efficiens per se, scribit Eminentissimas Zigliara *Summa Philosophica, Tom. 1, pag. 502, Edit. 1877. illa dicitur, quae ex seipsa, et directe influit effectum,* qui propterea ipsi connectitur et ab ea formaliter pendet. Non dissimilem definitionem causae efficientis per se tradit cl. Matthaeus Liberatore *Institutiones philosophicae Tom. 1. pag. 359. Edit. 1864:* causa efficiens per se, inquit, illa est, quae vere et suapte vi influit, ut ignis respectu combustionis; causa efficiens per accidens, quae coniungitur cum causa vere influente, ipsa autem nihil influit, ut fulgor qui in igne relucet.

Ut igitur foetus dici possit in casu maternae mortis *per se causa* debet *vi sui et directe influere,* seu producere matris mortem. Atqui hoc adeo certum est ut non intelligamus quomodo in dubium revocari possit; quandoquidem 1. ipsa chirurgica operatio id evidentissime demonstrat; inducta est enim, ut non semel diximus, ut per occisionem foetus, materna vita servaretur; reapse autem constat, occiso foetu, matrem servari, non occiso, matrem perire; foetus ergo *vi sui et directe* influit in maternam mortem; illa enim causa vi sui et directe influit effectum, qua posita, ponitur effectus, qua sublata, effectus tollitur; at mater antequam foetus ad tale volumen perveniret, sanitate fruebatur, postquam foetus ad illud volumen pervenit, in periculo mortis certissimo versatur; foetu occiso et ex utero extracto, mater pristinam sanitatem adipiscitur; ergo foetus dicendus est vi sui et directe influere in maternam mortem. 2. Certum undequaque est, foetum maternae mortis causam fieri per conatus quos emittit ad sese evolvendum et egrediendum ex utero; cum autem ob uteri angustias egredi non possit, genitrix necessario moritur; at minime moreretur, si conatus illi deessent; hi ergo conatus *vi sui et directe*

influunt, et producunt matris mortem. 3. Si foetus non esset per se maternae mortis causa, esset vel causa per accidens, vel occasio; at causa efficiens per accidens coniungitur cum causa vere influente, ipsa autem nihil influit; ergo dicant adversarii quaenam sit causa illa vere influens in maternam mortem, cum qua coniungitur foetus ut causa per accidens, atque deinceps probent, foetum in maternam mortem nihil influere; hac autem in re non metaphisicorum, sed in scientia medica peritorum iudicio et sententiae standum est; hi autem dicunt, foetum, et hunc unum, matri mortem inferre. Sed multo minus occasio dici potest, aut est. Occasio enim est *id omne ad cuius praesentiam aliquid fit;* ipsa autem differt a causa efficiente, quia ab occasionis activitate effectus existentiam non recipit. Ita Tongiorgi *Institutiones philosophicae Tom. 1. num. 263.* Probare igitur adversarii deberent, foetum in maternam mortem non influere, sed aliquid aliud cum quo foetus veluti occasio coniungitur; quod nos profecto nescimus; at si ipsi causam hanc noverint, faveant illam proferre; ad affirmantem enim spectat probatio. 4. Neque allatae rationes admodum solidae videntur; etenim falsum esse videtur, quod si foetus esset per se maternae mortis causa, ipse quocumque tempore et vi sui irrogaret matri mortem; causa enim efficiens *per se* consideranda est iis omnibus conditionibus munita quibus apta fit ad determinatum effectum producendum; febris ex. gr. non semper interficit hominem; at eadem febris talibus munita symptomatibus hominem interficit; numne concludi exinde posset quod febris non sit causa per se mortis eoquod ab initio hominem non interfecit? Ita torrens qui tali aquarum volumine crescat, campos non invadit, neque segetes devastat; at maiori volumine aquarum exundans omnia in ruinam mittit; quid inde? dicendus non erit torrens causa per se illatae devastationis, quod ab initio segetes non devastarit? Hoc profecto nemo dixerit. At ob eamdem rationem, foetus neque ab initio, neque gestationis decursu matri ullam infert mortis causam, eo quod illas conditiones nondum sit assecutus, quibus maternae vitae detrimenta possit inferre; at postquam tale volumen assecutus est, talesque vires, quibus potest illos conatus emittere, maternae vitae ultimum creat periculum; causa igitur efficiens tum factus est atque est; antea dici poterat causa virtualis ad cuius actuationem requiruntur determinatae conditiones. Hinc foetus dicendus est maternae mortis causa *per se* prorsus in datis circumstantiis et conditionibus.

Sed hae circumstantiae, inquiunt, non tam a foetu quam a matre dependent, cum earum causa sint vel uteri angustiae vel debilitas, vel aliqua physica imperfe-

ctio. At norunt adversarii nostri, matrem cum illis uteri angustiis, cum illa debilitate, et cum illa physica imperfectione antea vixisse, et sanitate corporis gavisam fuisse; sanitate vero carere coepisse postquam ad tale volumen foetus excrevit, talesque emittere conatus incoepit; subtracto foetu pristinam plerumque sanitatem matrem adipisci. Quod vero mater talem corporis structuram habeat, in culpa vocari non potest; atque pleno iure vivendi fruitur. Quid ergo sequitur? Profecto 1.° quod cum mater illis cum imperfectionibus antea viveret, et sanitate frueretur, illae non possunt dici causae eius mortis.

2.° Sequitur, causam maternae mortis illam esse dicendam, quae reddunt vitam et sanitatem matris incompossibilem cum illis imperfectionibus; hanc autem esse unicum foetum.

3.° Sequitur matrem privari non posse iure vivendi, quamvis imperfectiones illas habeat; ideoque ei potestatem competere a se eliminandi quidquid vitae suae periculum infert.

4.° Sequitur demum, foetum non *causam per accidens,* sed *causam efficientem per se* esse materni interitus, eoquod in conditionibus in quibus versantur, mater sine foetu vivere potest, cum foetu vivere non potest.

Hinc ruunt cetera quae in difficultate afferuntur.

Quamvis enim occisio foetus esset directa et intenta per se tanquam finis operis, tamen non ex hoc, tanquam ex obiecto simpliciter reciperet specificationem et rationem culpae vel virtutis, sed ex eo quod ideo foetui mors infertur, quia est causa maternae mortis; eiusmodi enim ratio ab occisione foetus separanda non est. At sub eiusmodi respectu foetus occisione considerata, quamvis ipsa esset finis operis, non esset tamen illicita, quia mater magis tenetur ad servandam propriam vitam quam vitam foetus; atque nemo dixerit cum propriae vitae discrimine eam obbligari foetum conservare, praesertim cum illius aeternae saluti per baptismum consultum sit; ideoque iura spiritualia filii in collisionem non veniant cum iuribus temporalibus matris. Insuper occisio aggressoris, infantis per viam proculcati, innocentium obsessorum in urbe est directa; attamen licita, quia necessaria ad salvandam propriam vitam, vel urbem obsessam possidendam; si indirectas praefatas occisiones vocemus, nonnisi ratione finis quem occisores sibi praestituerunt; cum itaque, quod tamen iam diximus, occisio foetus in casu ad instar se habeat, poterit et ipsa vocari indirecta, quia finis est salus matris.

Concedimus autem, finem operantis non posse id auferre quod finis operis habet ab intrinseco moralitatis; attamen in casu nostro

eiusmodi difficultas locum haberet si finis operis in concreto et in omnibus suis circumstantiis consideratus esset malus: id autem adhuc probare adversarii debent; ideoque cum finis operantis sit salus matris, quod bonum est; mors autem foetus in expositis circumstantiis illicita probata non sit, non videmus quomodo in casu nostro allata difficultas locum habere possit.

Non concedimus insuper salutem matris esse tantum finem operantis, sed dicimus etiam esse finem operis et principaliter; non enim ex operantis intentione mater salutem adipiscitur, sed per occisionem et extractionem foetus, per remotionem scilicet *causae efficientis per se* maternae mortis; remotio autem *causae efficientis per se* maternae mortis attingit finem operis. « Finis enim operis, inquit » Eminentissimus Zigliara *Summa* » *philosophica Tom. 1. pag. 524,* » *Edit. 1877*, ille est, ad quem » opus ab agente exercitum natura » sua ordinatur; finis operantis ille » est quem agens sibi praefigit, » sive finis coincidat cum fine ope- » ris, sive non ». At quis unquam negaverit, foetus occisionem unice ordinari, et esse necessariam ad salutem matris? Ob id enim inducta est craniotomia; insuper cum foetus sit causa per se maternae mortis, ad matris sanitatem restituendam debet eiusmodi causa eliminari, eliminatio igitur foetus restituit matri sanitatem; at profecto craniotomicae operationis materna sanitas est finis; ergo est finis operis, ideoque obiectum, et non circumstantia, aut accidens. Nihil autem impedit quominus finis operis sit etiam finis operantis; immo multo melius est.

His vero finem nostrae imponimus quaestioni. Liceitati craniotomiae subscripsimus, eo quod vidimus gravibus eam argumentis niti, contrariasque rationes elidi posse: attamen eius liceitati in expositis tantum circumstantiis, et non aliis, subscripsimus; sicut et alii qui plurimo valent ingenii acumine ante nos subscripserunt, quos inter honoris gratia nominamus etiam doctissimum Cardinalem Tarquinii e Societate Iesu, qui Avanzini sententiae adhaerebat, eumque ad illam defendendam hortabatur suadebatque. Scimus etiam nonnullos viros praestantes qui paucis abhinc annis contra craniotomiae liceitatem scripserant, nunc mutasse sententiam, eiusque liceitatem propugnare; his accensere non timemus, si vera nobis relata sunt, Professorem Pacificum Ciarmadori qui solidiores difficultates contra Avanzinium proposuit; et propter hanc causam examine ipsius dissertationis abstinuimus.

Desiderandum est tamen, ut alia aliqua operatio chirurgica inducatur, qua tum foetus tum matris vita servari possit; etenim ad craniotomicam operationem nonnisi in extrema necessitate deve-

niendum esse, et prorsus iis in incumstantiis, quae in proposito quaestionis statu concluduntur, omnino persuasi sumus.

Et quoniam audivimus, doctissimum Medicum et Chirurgum Porro in Universitate Papiensi Professorem chirurgicam operationem vel excogitasse, vel perfecisse, quae *uterotomia* appellatur, ex cuius usu experientia confirmato, ut nobis relatum fuit, tum matris tum foetus vita servari potest, illam craniotomiae subrogandam esse dicimus.

Attamen usque dum alia operatio chirurgica subrogari tutius non possit, craniotomiam illicitam esse affirmare non possumus. Quamvis enim nos, ut diximus, ab initio ancipites haeserimus, re postea melius perpensa, iisque ad examen revocatis, quae ab utriusque partis scriptoribus afferuntur, pro eius liceitate *in expositis tantum circumstantiis et conditionibus* suffragium ferre duximus. Numquam enim nobis persuadere potuimus, permittendam esse tum matris tum foetus mortem, quando hic necessario et brevi moriturus est, quando inferat matri mortem, infanti nullum inferatur damnum, matris vita e contra servetur; et hoc cum certo certius matris iura praevaleant, cum ea non teneatur servare in utero infantem cum certo suae vitae periculo, illiusque aeternae saluti consuli tuto possit, demum cum viderimus adversae sententiae defensores ea argumenta non diluisse quae pro craniotomiae liceitate, aut saltem huius sententiae probabilitate afferuntur.

Post haec: Incurrunt ne excommunicationem Piani Capitis Chirurgi craniotomiam iuxta expositas conditiones exercentes?

Negari non potest, craniotomiae liceitatem probabilibus niti rationibus intrinsecis, eamque de cetero Doctores gravissimos tueri. At excommunicatum numquam habendum esse, quem ratio vere probabilis ab excommunicatione eximit, Doctores affirmant. Numquam igitur Craniotomiam iuxta propositum casum exercentes sunt in praesentiarum de excommunicatione damnandi. Eo vel magis quod S. Poenitentiaria anno 1869 de re interrogata nullam sententiam protulerit, et ad probatos auctores consulentes remiserit. Nón cônstat igitur Pianum Caput ad craniotomiam extendi debere, vel extendi; ideóque nón constat craniotomiam exercentes *inter procurantes abortum esse* recensendos.

Omnia vero diximus non contradicendi animo, sed veritatis inquirendae causa.

Postremo, gratum nos facturos esse lectoribus nostris arbitramur, si coronidis gratia, pro Sacerdotibus, parentibus, medicis eas regulas practicas subnectamus, quas Rmus P. I. Baltes Episcopus Altonensis (Alton) in Statibus Foederatis Americae

Septemtrionalis tradit in suo Opusculo anglica lingua exarato, cui titulus *Sacra Embryotomia* (*Sacred Embryology*. Alton, Ill. 1879) *p.* 87 *seqq*. Dignae enim nobis videntur, quae ab omnibus et considerentur, et suscipiantur. Hae porro sunt regulae.

1. In praxi, sequi tenemur opinionem quae docet, in casu necessitatis infantem in utero matris baptizari posse. Id igitur faciendum est, quoties adest probabile periculum, quod secus infans sine baptismate moriturus sit, dummodo per id matris vita in periculum non vocetur.

2. Baptismatis administratio in utero matris tentari non debet (excepto casu quo mater iam sit parturiens, seu in doloribus partus) nisi constet per id grave periculum matri non creari et nisi probabile sit, foetum sine baptismate secus esse periturum. Id citius tentare, vitam foetus semper in periculum vocaret et plerumque vitam matris.

3. Cum vero mater est parturiens, seu iam est in eo ut pariat, et foetui instat probabile vitae periculum, sine ulla mora foetus est in utero baptizandus, si id fieri possit quin matris periculum augeatur.

4. Dum mater evidenter perspicitur ad mortem appropinquare, et iam menses pene exacti videntur, foetus autem in lucem vivus prodire non posse, omnimodis enitendum est ut infans in utero baptizetur, attamen sine graviori matris periculo. Vitetur autem praepropera festinatio.

5. Non licet deliberato animo foetum interficere ad alium finem quam ad vitam matris salvandam, cui secus una cum foetu pereundum esset.

6. Abstinebit medicus qualibet medicina, et operatione qualibet, quae foetus vitam periculo mortis exponat, antequam ei certo constet id esse absolute necessarium ad vitam matris salvandam. Si ipse praevideret foetum aggressorem vitae maternae futurum, providentiae divinae casum dimittere debet, quae, ut alias contigit, aliter providere tum matri tum infanti poterit. Attamen non tenetur medicus extrema momenta expectare; ridiculum enim esset velle aliquem cogere ad expectandam aggressionem, quando iuste timeret se non posse amplius eam repellere. *Ligorius lib. III. n. 387*. Ut medicus licite medicinas exhibere, aut operationem agere possit, persuasus esse debet, aut sibi tunc agendum esse, aut sin minus matrem et foetum esse perituros.

7. Cum certum est, foetum vivum non esse nasciturum si ad maturitatem perveniat, partus poterit accelerari, eo tamen tempore quo et foetus nasci possit, et probabiliter vivus nasciturus erit, et queat educari (1).

8. Cum mater gravi morbo premitur, qui etiam foetui mortem inferre potest, quique curari tan-

(1) Hic casus multo differt ab abortu medico, de quo supra locuti sumus.

tum queat medicinarum porrectione, quae dum morbum curant, foetum expellunt, hae medicinae exhiberi possunt ad salvandam matrem.

9. Cum matri et foetui mors instabit, nisi medicamenta porrigantur quae directe in foetum agant, et abortum causent, illa porrigi poterunt ad salvandam matrem.

10. Si probabile iudicium exurgit, per operationem caesaream foetum salvari posse, per eamque matri non esse mortem inferendam, opinamur, operationem caesaream faciendam esse, et foetum interfici non debere.

11. Si operatio caesarea praevideatur mortem matri illatura, non autem operatio embryotomica, haec postrema seligenda est atque in usum deducenda; si utraque operatio mortem illatura praevideatur, utraque praetermittenda. Nefas est enim vitam alicui ob datum finem eripere, si probabilis non sit finis consecutio.

12. Vivente matre, operatio, infantis baptizandi causa, fieri non potest ante tres vel quatuor a conceptione menses 1. quia breviori tempore matris gestatio certe deprehendi non posset. 2. quia dato etiam et concesso quod gravida sit, incertum est an foetus sit vivus. 3. Quia mater certo vitae periculo exponeretur ob incertam praestituti finis consecutionem. Quaelibet ex allatis rationibus sufficiens est ad reddendam illicitam operationem chirurgicam. Neque licitum est subsequenti tempore illam peragere, quia tunc foetus baptizari potest in utero.

13. Mortua matre, quoties rationabile dubium adsit an foetus mortuus, nec ne sit, operatio chirurgica peragenda est.

14. Cum certum est, tum matrem tum foetum brevi esse perituros, nisi foetus utero amoveatur, si aliter amoveri non potest, salvandae matris causa, ad craniotomicam deveniri potest operationem.

15. Antea tamen modis omnibus curandum est, ut foetus in utero baptizetur.

16. Relate ad agendi rationem, quam Sacerdotes, Medici, parentes, aliique ad quos spectat, sequi in re debent, cum in casu duae sint opiniones, quam libuerit amplecti possunt; singuli autem caveant ne alios ad eamdem opinionem sequendam compellant, sed quemlibet liberum relinquant eam sequi sententiam, quam ei libuerit. Sacerdotes possunt, et interrogati debent exponere utramque opinionem, etiam innuere quam ipsi veriorem putent, sed tum medicis, tum parentibus illam respuendi vel amplectendi relinquant facultatem. (1) Ut Sacerdotes, ita me-

(1) Haec sed vero prudentiora et veriora nobis videntur prae illis quae cl. Ciolli tradit *op. cit. pag. 522.* « Si a chirurgo sit interrogatus (Confessarius vel Parochus) » quid sibi liceat, aperte ei dicat se nescire quomodo absque culpa foetus possit » enecari, seu quod idem est, embryotomiam directe peractam esse illicitam, prout

dici et parentes illam possunt amplecti sententiam, quam veriorem putaverint. Si medicus scrupulis angatur in amplectenda opinione quam parentes pronuntiarunt, scrupulos abiiciat, atque propriae conscientiae dictamina sequatur, sin minus genitoribus permittat ut alium medicum advocent. Parentum vero munus est bonos advocare medicos; atque dum quaestio est sive de abiicendo ex utero foetu, sive de operatione caesarea, sive de embryotomica optimus est eligendus; huius autem consilio tuto acquiescere possunt. Si de liceitate actionis dubium oriatur, tum parentes tum medicus personas in re competentes interrogent ut dubium deponant.

Hae sed vero regulae, quas doctissimus Episcopus suggessit, iustae et prudentissimae nobis videntur, atque in praxi omnino sequendae.

» directam occisionem foetus, ut supra probatum est. Si a matre sit interrogatus, » quid sibi faciendum sit, vel ei aperte dicat eam non posse velle embryotomiam, » vel saltem eam moneat chirurgum orare, ut ita vitae propriae consulat, quin » aliquid faciat vitae foetus contrarium. Eiusmodi profecto consilia neque matri, neque chirurgo sunt porrigenda; etenim tum rationes intrinsecae, tum Doctorum auctoritas operationem craniotomicam probabilem reddunt: *at potest quis sequi opinionem probabilem, relicta tutiori*, ut liberaliores simus. Nulla de cetero adest lex civilis aut ecclesiastica, quae craniotomicam operationem prohibeat, quamvis ea ad S. Sedem delata ultro fuerit; cui ergo legi innixus confessarius aut Parochus proclamare potest, embryotomiam esse illicitam? etenim: *non cognovi peccatum nisi per legem.* Addimus praestantem auctorem clariss. Kerinck verba ultro impulisse quam sonare videntur. Hic enim quaerit apud Del Vecchio *Theolog. moral. Lib. 2. n. 654.*

Quid faciendum, dum Sacerdos novit, Chirurgum in animo habere foetum, forcipibus adhibitis, extrahere? vel in utero extinguere, pharmaco dato, ut matris servetur vita?

Resp. Equidem cum utrinque periculum sit, puto haud oportere se aliquatenus chirurgi consiliis immiscere; nil enim proderit, et in se mortis matris suscipiet odium. Plerisque quidem chirurgis videtur foetus non possidere plenum ius ad vitam, donec utero egressus sit; eum scilicet veluti partem matris habent, quae cum ipsius morte non est servanda; imo tamquam aggressorem in matris vitam, omnino tollendum censent. Quod si chirurgus quid liceat sibi petat, nescio quo modo vita foetus tolli absque culpa queat. Si mater petat quid sibi faciendum sit, videtur dicendum oportere chirurgum orare, ut vitae foetus omni qua possit ratione consulat. Haec autem multo mitiora sunt, atque prudentiora.



			ERRATA	CORRIGE
Pag. 40	lin. 8	Col. 1.	in	id
Pag. 50	lin. 4	Col. 2.	cranismistis	craniotomistis
Pag. 56	lin. 18	Col. 2.	xx	xxi
Pag. 57	lin. 17	Col. 1.	mulieri	mulieris
Pag. 80	lin. 11	Col. 1.	dbmus	dabimus

INDEX

